fusae, nempe mentis elevationis et mentis alienationis, mutuatus est, quin tamen illum in omnibus sequeretur. Pauca tantum scholasticae vestigia in eius mystica reperiuntur. Spiritui franciscali paruit, minus tamen quam S. Bonaventura, cuius doctrina mystica essentialiter et prorsus franciscana est [1].

Quibus auctoritatibus externis Sanctus propriam de rebus mysticis experientiam addidit, quae illi doctrinam ab aliis magistris traditam confirmavit, eique quaedam addidit ita ut S. Antonii theologia mystica aliqua nova contineat.

Antonius aliquantum speculativus est, multo minus vero quam Augustinus, Richardus a S. Victore et Bonaventura. Licet eius Sermones potius concionum postea habendarum summaria quam sermones praedicati sint, nihilominus quandam indolem affectivam habent, certe minorem quam scripta Doctoris Melliflui, Seraphici Assisiensis ac Doctoris Seraphici. S. Antonius autem practicus est ut S. Gregorius, cui optime comparatur.

Primus in ordine minoritico sacrae theologiae lector et post S. Franciscum auctor spiritualis, S. Bonaventurae, unius ex principibus theologiae ac mysticae, praecursor dici potest.

Etsi Antonius orator popularis fuerit eiusque opera unice ex sermonibus constent, tamen doctrinam unam et homogeneam exhibet. Voluntati in contemplatione infusa primatum tribuit. Favet mysticae et vocationi ad eam generice sumptam; nihilominus solidam asceticam illi praemittit, atque ab omni falso et immoderato mysticismo et quietismo non solum longe distat verum etiam illum positive impugnat; itaque via media ac tuta incedit. Quod controversias mysticas nostris temporibus agitatas spectat, potius sententiis communioribus et mediis favet.

Summatim eius doctrina mystica prorsus solida est ac vere classica potest pronuntiari. Insuper practica est, cum S. Antonius, ut auctorem mysticum franciscanum decet, animarum utilitatem semper intendat ac promoveat.

Proinde S. Antonius Patavinus auctor mysticus non parvi sane est momenti, atque non iam a scriptoribus silentio praetereundus neque oblivioni est tradendus; verum eius doctrinae ratio habenda atque illi locus vere dignus et honorificus inter auctores mysticos tribuendus est.

P. Iacobus Heerinckx, O. F. M.

Tractatus De Luce Fr. Bartholomaei de Bononia

Inquisitiones et Textus

Antequam textum tractatus *De Luce* praebeam, quem cultores philosophiae scholasticae iam cognoscunt ex elucubratione cl. P. E. Longpré, O. F. M. [1], non inutile existimo omnes notitias praemittere quas circa vitam et opera eiusdem auctoris colligere potui. Ex novis inquisitionibus quas, adiuvante ipso P. Longpré, perfeci, praecedens elucubratio in multis ampliatur atque corrigitur.

Cum de momento doctrinali tractatus *De Luce* alio loco, post editionem ipsius tractatus, agere proposuerim, sequentia prolegomena characterem historico-criticum exclusive prae se ferunt. Interim huius rei periti ex textu liberius iudicare poterunt, eisque gratus ero si ulteriores indicationes ad ipsum Bartholomaeum quoquo modo spectantia mihi praebere voluerint.

Claritatis causa ordinem praebeo prolegomenorum.

I. De vita Fr. Bartholomaei de Bononia.
II. De scriptis in genere ac de sermonibus in specie.
III. De Quaestionibus disputatis.
IV. De tract. *De Luce* ac de eius authenticitate.
V. De divisione et argumento tract. *De Luce*.
VI. De eiusdem unitate ac forma litteraria.
VII. De fontibus tract. *De Luce*.
VIII. De manuscriptis ac de methodo editionis.
IX. Bibliographia.

I. — De vita Fr. Bartholomaei de Bononia.

Bartholomaeus Pisanus in suo opere *Conformitatum* [2] loquens de primitiva Provincia Franciscana Bononiensi sequens de ea profert testimonium: « In hac siquidem provincia Bononiae

[1] *Bartolomeo di Bologna, un Maestro francescano del sec. XIII*, in *Studi Francescani*, IX, 1923, 365-384.

[2] Fruct. XI, p. II, *Analecta Franciscana*, IV, Ad Claras Aquas 1906, 524.

rigiditas magna viguit observantiae regularis ac studia scientiarum, et de ipsa provincia fuerunt fratres plures vita, fama, verbo et scientia singulares, a quibus fratres aliarum provinciarum, de praefatis trahentes exemplum, suis personis in moribus et scientia nativas provincias decorarunt ». Porro inter « fratres vita, fama, verbo et scientia singulares » ad quos alludit Pisanus, non immerito adnumeratur BARTHOLOMAEUS DE BONONIA.

De hoc Franciscano Magistro, qui post Matthaeum ab Aquasparta scholam Bononiensem (1) rexit, parum historia nobis tradidit. Ex elucubratione P. Longpré (2) sequentes notas quoad vitam Bartholomaei depromere mihi liceat, easque pro posse complere.

Bartholomaeus, qui certe adnumeratur religiosis Prov. Bononiensis, ante ingressum in Ordinem Parisiis moratus est vel ut studiis incumberet vel etiam ut Magister, sicut eruitur ex anecdoto relato a Fr. Io. Rigaud, O. F. M., in sua *Expositione Missae* (3). Ex aliqua quaestione disputata ipsius Bartholomaei, quam citat Longpré (4), scimus ipsum exercuisse munus inquisitoris « Anagniae, ibidem curia [pontificia] existente, tempore Domini Alexandri IV », scilicet anno 1256 vel 1259. Quanto tempore manserit in curia pontificia non constat. Paulo post 1270, certe ante 1278 vel potius ante 1275-1276 (5) ut Magister regens Scholae Franciscanae docuit theologiam in Universitate Parisiensi. Hoc scimus tam ex inscriptione praeposita

(1) De hac schola diffuse loquitur P. I. Felder, O. M. Cap., *Storia degli studi scientifici nell'Ordine Francescano dalla sua fondazione fino a circa la metà del sec. XIII*, Siena 1911, 131 ss. Cf. etiam A. Corna, O. F. M., *L'antico studio francescano di Bologna*, Bologna 1928.

(2) L. c., 365 ss.

(3) « Exemplum de Fratre Bartholomaeo, de Ordine Fratrum Minorum, sacrae theologiae doctore, qui audiens Bononiae esse unum demoniacum... ivit ad eum ut sciret statum duorum *sociorum* quos habuerat Parisiis *antequam intrasset ordinem* ». Cod. 426 (138) Bibl. publ. Turonensis, fol. 104 v. Apud Longpré, l. c., 366. Ex peritia Barth. in artibus licet arguere ipsum docuisse Parisiis uti *Magister artium*, unde *socius* subaudiret *in magisterio*.

(4) L. c., 366 ss. Est quaestio 18 iuxta enumerationem quae infra ponitur.

(5) Cf. Augustinum Deneffe, S. I., *Gualteri Cancellarii et Bartholomaei de Bononia O. F. M. Quaestiones ineditae de Assumptione B. V. Mariae.* (*Opuscula et textus*, Series scholastica, IX), Monasterii 1930, 6; P. Glorieux, [illegible] XII, 1929, 282 s.

Quaestionibus disputatis ipsius Bartholomaei in ms. ex bibl. Stuttgartiensi (de quo infra), quam ex testimonio Salimbene, qui asserit Bartholomaeum fuisse magistrum Parisiis: « qui Parisius magister fuerat conventatus »; eumque vocat magnum et cathedratum magistrum (1). Titulus *cathedratus* seu *cathedraticus* non est personalis, sed officialis, academicus (2).

Perdurante munere regentis, Bartholomaeus plures quaestiones disputatas determinavit et quidem tali cum successu ut sibi magnam famam acquisiverit. Revera auctoritatem eius Supremi Ordinis Seraphici Moderatores magni aestimabant, ut apparet ex quaestione circa a. 1270 agitata *de correctione fraterna* (3); propriam enim sententiam confirmant « ex sententia venerandorum magistrorum nostrorum fratris Gualteri, ministri Franciae, et magistri Iohannis, ministri Hyberniae, et fratris Bartholomaei Bononiensis » (4). Etiam Nicolaus III suam de Bartholomaeo aestimationem monstravit eum a. 1278 eligendo « ad negotium unionis tractatae inter latinos et graecos prosequendum in partibus Romaniae » (5). De facto Bartholomaeus huic missioni non interfuit; quasnam ob rationes ignoramus (6).

Ab anno 1282 (7 octobris) ad annum 1294 (16 iulii) certum est Bartholomaeum Bononiae commoratum esse. In hac enim temporis periodo ipse apparet in diversis actibus testamentariis vel aliis actibus iuridicis in quibus vocatur *magister*,

(1) *Chronica* (*Mon. Germ. Hist.*, Scriptores, XXXII), 593 et 650: « Et frater Bartholomaeus de Bononia, magnus et cathedratus magister, tunc temporis erat provincialis minister... ».

(2) Cf. Felder, l. c., 218.

(3) Cf. Longpré, *Gauthier de Bruges, O. F. M., et l'augustinisme franciscain au XIIIe siècle*, in *Miscellanea Ehrle*, I, Roma 1924, 201-203; B. Gauthier de Bruges, *Quaestiones Disputatae*, ed. Longpré, in *Les Philosophes Belges*, X, Louvain 1928, 179-238.

(4) Ex Constitutionibus Generalibus a. 1292. Cf. Fitzmaurice, O. F. M. [et Little], *Franciscan Province of Ireland*, in *British Society of Franciscan Studies*, IX, Manchester 1920, 45 s.; Longpré, *Gauthier de Bruges*, 202. Cod. Vat. Ottob. 15 habet solummodo: « ex sententia generalis ministri et magistrorum parisiensium ». Cf. F. Ehrle, *Arch. für Liter. u. Kirchengesch.*, VI, Freiburg i. B. 1892, 110, not. 3.

(5) Sbaralea, *Bullarium Franciscanum*, III, p. 345, n. 64, apud Longpré, l. c., 369 s.

(6) Cf. H. Golubovich, O. F. M., *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa*, II, Quaracchi 1913, 425.

sacrae theologiae professor, doctor in theologia, sacrae Scripturae professor etc. (1). Unde cum certitudine potest affirmari quod Bartholomaeus successit in directione scholae Bononiensis Matthaeo ab Aquasparta, qui Bononiae docuerat et a. 1281 electus fuerat Magister S. Palatii (2).

Anno 1285 (octobr.), sicut nos docet Salimbene (3), Bartholomaeus eligitur Minister provinciae Bononiensis, quo in munere perdurat usque ad finem a. 1288 vel initium 1289 (4). Ultima vice Bartholomaeus nominatur in testamento cuiusdam Ubaldi de Bonis consiliis a. 1294 (16 iulii) (5); ab hac autem die de eo nihil amplius scimus.

II. — De scriptis in genere ac de sermonibus in specie.

Opus doctrinale Bartholomaei quod usque nunc cognoscitur amplectitur 41 *Quaestiones disputatas,* tractatum unum *De Luce* et aliquos *Sermones;* identificare eiusdem *Commentarium in Sententias* nondum possibile fuit.

Cl. P. Longpré in suo laudato articulo solummodo duos sermones praebere potuit. Ex ulterioribus vero inquisitionibus novem vel decem cognoscuntur, licet de eorum authenticitate non aequali certitudine constet. Probabiliter habiti sunt du-

(1) Cf. Bonaventura Giordani, O. F. M., *Acta Franciscana e tabulariis bononiensibus deprompta* (*Analecta Franciscana,* IX), Quaracchi 1927, p. 96, test. 254; p. 104, test. 272; p. 107 s., test. 280; p. 120, test. 308.

(2) Cf. Matth. ab Aquasparta, O. F. M., *Quaestiones disputatae selectae.* Tom. I. *Quaestiones de fide et de cognitione,* Ad Claras Aquas 1903, V.

(3) *Chronica,* 593: Anno 1285 post decessum fratris Vitalis ministri Bononiae « congregati fratres in conventu Bononiae... in mense octobre eligerunt fratrem Bartholomaeum de Bononia, ut provincialis esset minister, qui Parisius magister fuerat conventatus ». Cf. Picconi, O. F. M., *Serie cronologico-biografica dei Ministri e Vicari provinciali di Bologna,* Parma 1908, 58-60. Hoc confirmatur etiam ex nonnullis actibus iuridicis in quibus Bartholomaeus vocatur *Minister Provincialis.* Cf. Giordani, l. c., p. 146, test. 348; p. 148, test. 351; p. 187, test. 438; p. 670, actus 1400. Hic actus et test. 438 licet sint ex a. 1290 et 1294, tamen referuntur ad tempus provincialatus Bartholomaei. Bartholomaeus officio suo perdurante etiam capitulum provinciale celebravit. Cf. Salimbene, l. c., 650.

(4) Hoc tempore minister provincialis est *Adam de Castro Brittorum.* Cf. Picconi, l. c., 60; Giordani, l. c., p. 169-171, test. 406 (5 mart. 1289); p. 270-273, test. 578, ubi Barth. vocatur solummodo *magister* et *sacrae theologiae professor.*

[illegible] 211 s. test. 645.

rante altera commoratione Bartholomaei Parisiis (1). En notitias quas de unoquoque sermone praebere possum.

1. **Sermo de Beato Andrea.** Servabatur in codice 1156 fol. 13 Bibliothecae Nationalis Taurinensis cum titulo: « *Sermo de Beato Andrea fratris Bartholomaei de Bononia* »; incipit: « *proposito sibi gaudio sustinuit crucem* etc. », fol. 20 v *Collatio* de eodem themate (2). Breves notitias huius codicis saec. XIV praebet Pasinus (3). Quis autem sit Bartholomaeus iste de Bononia, Franciscanus scilicet an Dominicanus, non facile indagari potest; nam ipse Pasinus, l. c., sic procedit: « Meminit huius scriptoris, qui fuit *ex Ordine Praedicatorum,* Albertus Fabritius, tom. I, p. 470, *Bibl. Med. et Inf. Lat.* ».

Quamnam huius operis editionem citet Pasinus nescio; in editione quam consului (4) Fabritius loquitur solummodo de duobus fratribus qui hoc nomine nuncupantur et quidem ex Ordine Praed., quorum unus « circa a. 1338... in armeniam alter apostolus claruit... », alter vero, vocatus Bartholomaeus de Bissina itidem Bononiensis, fuit episcopus Astensis et obiit a. 1409. Num istis auctoribus tribuendus sit sermo de B. Andrea Fabritius non dicit, nec de hoc sermone verbum faciunt Quétif-Echard, qui de eisdem auctoribus loquuntur (5). Mazzuchelli eundem sermonem enumerat inter diversa opera tribuenda *alicui* Bartholomaeo de Bon. ex *Ord. Praed.*; cuinam vero determinato Bartholomaeo adiudicandus sit definire non audet, cum saec. XIV plures floruerint in eodem Ordine (6). Lecoy de la Marche tandem sermonem ms. Taurinensis 1156 tribuit simpliciter Bartholomaeo de Bononia

(1) Exactior determinatio temporis pro nunc possibilis non est. Anecdotum *Libri Exemplorum* (ed. Little, Aberdeen 1908, 28) loquitur solummodo de sermone qui habitus est in quodam capitulo fratrum infra octavam Assumptionis. Porro cap generale Parisiense unum locum habuit in festo Pentecostes 1266, aliud vero nonnisi 1292.

(2) Hanc collationem indicat Deneffe, l. c., 7, non tamen eam enumerat Pasinus in opere mox citando. Sermo de Beato Andrea cum eodem textu invenitur in Ms. Bodl. 4, fol. 104 r-107 v Bibl. Bodl. Oxford, sed anonymus. Valde differt a stilo Bartholomaei.

(3) *Codices manuscripti Bibliothecae Regii Taurinensis Athenaei,* II, Taurini 1749, 385. Cod. 1156 consumptus est incendio 1904.

(4) Io. Albertus Fabritius, *Bibliotheca Latina mediae et infimae aetatis, cum supplemento Christiani Schoettgenii,* I-II, Florentiae 1858, 164. Aliae editiones: Hamburgi 1734-35, ib. 1736, Patavii 1754.

(5) *Scriptores Ordinis Praedicatorum,* Lutetiae Parisiorum 1719, 722 et 752. Primo Barth. tribuuntur *Commentaria super Evangelium Missus est* et *super Canticum Magnificat,* alteri vero *Commentaria in Evangelia Matthaei et Lucae, in Quatuor libros Sent.* etc. De tali attributione autem auctores alii aliter sentiunt.

(6) *Gli Scrittori d'Italia,* II, p. III, Brescia 1762, 1460 ss.

Franciscano (1287), sed suam sententiam nullo documento confirmat [1]. His stantibus, licet testimonia allata parum habeant valorem, uti patet, non possumus verbum definitivum de authenticitate huius sermonis proferre, praesertim cum impossibile sit, pro momento, quaestionem argumentis intrinsecis fulcire.

2. **Sermo in Ascensione Domini.** Servatur in cod. 10.698 Bibl. Nat. Paris., fol. 50 r b-52 r b. Inscribitur: « *Sermo in Ascensione Domini fratris Bartholomaei de Bolonia* » [2]; incipit: *Ecce Aquila ascendet et volabit et expandet alas suas. Verbum istud est Ier. XLIX quod continet prophetiam...* »; explicit: « *scias esse nisi receptacula tribulationum. Rogabimus* etc. ». Descriptionem codicis in genere et sermonis in specie praebent Hauréau [3] et praesertim auctores *Histoire littéraire de la France* [4], qui etiam conveniunt in attribuendo hunc sermonem nostro Bartholomaeo.

3. **Sermo in Nativitate B. V. M.** Servatur in ms. Ashmol. 757 Bibl. Bodl. Oxford. Hic codex [saec. XIV, mm. 160 × 240, fol. 416, binis col., lin. 35, pergam., coopertus corio] continet collectionem Sermonum. Fol. 1 cart. manu moderna plumbo: « *Ashmol. 755* (?). *Fratris Nicolai de Mans et aliorum Fr. ex ord. S. Francisci, Sermones dominicales cum indice calendariali...* ». Fol. 255 v a: *Sermo in Nativitate Beatae Virginis Mariae Fratris Bartholomaei de Bononia.* Incipit: « *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet. Beati qui audiunt...* »; explicit fol. 258 v b: « *Ergo est illuminatrix nostra. Et rogabimus Dominum etc.* ». Beata Virgo exaltatur primo « ut propugnatrix victoriosissima ad exterminandum adversarios generis humani; secundo sicut mediatrix gratiosissima ad restituendum peccatores in gratia Filii sui; tertio... sicut illuminatrix supersplendidissima ad illuminandum intellectus omnium christianorum et spiritualiter devotorum » (ib., fol. 256 r ab). In hoc ultimo puncto evolvendo quaedam habet similia cum tractatu *De Luce.*

4. **Sermo in Festo Nativitatis Domini.** Servatur in eodem ms. Ashmol. 757, fol. 363 r a-367 r b [5]. Inscribitur: « *Sermo in Festo Nativitatis Domini fratris Bartholomaei* »; incipit: « *Videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus et ostendit nobis. Suscipite...* »; explicit: « *et per tres dies non potuit loqui postea. Rogabimus Deum etc.* ». Etiam hic sermo multa habet similia cum tractatu *De Luce*, unde eius transcriptionem praebeo post ipsum tractatum. Terminat cum anecdoto quod iam invenimus in sermone *de Ascensione* quemque transcribit Hauréau [1].

5. **Sermo in cathedra S. Petri.** Servatur in cod. 5 Bibl. Cathedr. Worchester. Hic codex [saec. XIV inc., mm. 200 × 311, fol. 163, binis col., lin. 43, pergam.] continet collectionem sermonum. Fol. 1 v: « Liber sermonum fratris Diaconi, quorum primus sic incipit: *ecce mitto;* secundus, *Dominus legifer;* tertius, *ego autem* et sic seriatim reperies sub isto volumine quosdam sermones de sanctis et alios de tempore, quorum tabula reperias in fine ». Tamen ex successivo examine ms. constat quod non omnes sermones sunt eiusdem auctoris. Fol. 46 r a plumbo signatus: *Sermo in cathedra S. Petri fratris Bartholomaei de Bononia.* Incipit: « *Exaltent eum in ecclesia plebis et in cathedra seniorum laudent eum. Arripe illam...* »; explicit fol. 47 v b: « *simus igitur misericordes ut misericordiam consequamur in die iudicii, quod nobis praestare etc.* ».

6. **Collatio** anonyma super eodem argumento et cum eodem textu sequitur in eodem ms. immediate post praecedentem sermonem, i. e. fol. 47 v a-48 r a. Haec *Collatio* certe tribuenda est ipsi Bartholomaeo, non solum ratione historica [2], cum idem sit generatim auctor sermonis [*sermo in mane*] et collationis [*sermo post prandium*] [3], sed etiam quia idem anecdotum quod refert Io. Rigaud in sua *Expositione Missae* et transcribit Longpré in art. citato, hic quoque invenitur (fol. 47 v b) cum aliqua tamen variatione loci et personarum.

7. **Sermo in Resurrectione Domini.** Servatur in eodem ms., fol. 72 r a, in fine, plumbo signatus: « *In Resurrectione Domini fratris Bartholomaei de Bononia* ». Incipit: « *Ascendit Leo de cubili suo et pardo gentium levavit se. Iam vos...* »; explicit fol. 74 v a: « *non refert quanta in eum proiciantur tela, cum nullo penetrabilis sit. Rogabimus Dominum* » [4].

---

(1) *La Chaire Française au moyen-âge, spécialement au XIIIe siècle*, Paris 1886, 499.

(2) Ms. habet *bobn*, unde auctores cum difficultate legunt; cf. *Histoire littéraire de la France*, XXVI, Paris 1837, 450 s.

(3) *Notices et extraits de quelques manuscrits latins de la Bibliothèque Nationale*, II, Paris 1891, 19-21. Auctor in anecdoto quod transcribit ex hoc sermone male legit: « Fuit Romae », nam ms. habet: « Fuit *bonie* = Bononiae » ib., fol. 512 b.

(4) L. c. Diffuse loquuntur tam de sermone, quam de eius auctore. Hunc sermonem citat etiam Lecoy de la Marche, l. c.

(5) Idem sermo iterum occurrit in hoc ms., fol. 401 v b-405 v b cum inscriptione: « Sermo in Nativitate Domini fratris Bartholomaei de Bononia ».

(1) L. c., 20.

(2) Circa notionem et originem *Sermonum* et *Collationum*, cf. Lecoy de la Marche, l. c., 225 ss.

(3) Cf. Quétif-Echard, l. c., 97, qui reportant sequens documentum desumptum ex statutis universitatis Paris. pro facultate theologica: « Item nota quod quando unus magister in theologia, qui est de ordine mendicantium, facit sermonem de mane in universitate in domo ordinis sui, ipse tenetur eadem die facere collationem; sed si faciat in domo alterius religionis sermonem de mane, tunc non tenetur facere collationem ».

(4) Alium sermonem Bartholomaei indicat Deneffe, l. c., 7 ex Cod. Lat. Monacensi (München, Bibliotheca Status) 26941 [saec. 13] ff. 57 v-59 r: Sermo in annuntiatione dominica « Ingressus Angelus ».

8. **Sermo in Sexagesima**. Invenitur in ms. lat. 16.500 Bibl. Nat. Paris.; indicatur a Hauréau [1]. Inscribitur simpliciter: « *Bartholomaeus, dominica in sexagesima* »; incipit fol. 217 r b: « *Scio hominem in Christo etc. usque ibi Paradisum, 2 Corintios. 12. v. Primo videamus* »; explicit fol. 219 v a: « *Sed illis qui ibi sunt et erunt dicitur: gaudium verum*[!]*nemo tollet a vobis etc.* ». Auctor superexaltat perfectionem S. Pauli « in tolerantia adversorum, in multitudine bonorum operum, in contemplatione coelestium » fol. 217 r b. Ultimum punctum speciali modo evolvit explicando in quo consistant 3 coeli ad quos elevatus est Apostolus. Sermo exaratus est lingua valde eleganti et quaedam magni momenti continet pro re mystica. De authenticitate sermonis non constat; attamen multae comparationes quibus spiritualia materialibus explicantur optime cum modo scribendi nostri auctoris conveniunt. De cetero in hoc codice, qui est « Pauperum magistrorum » (fol. 1), multi alii Franciscani auctores occurrunt.

9. **Sermo alter de Ascensione**. In eodem codice (fol. 54 r a-58 r a) alius invenitur sermo de Ascensione, qui certe eiusdem est auctoris ac sermo praecedens, quidquid est de identitate huius cum nostro Bartholomaeo. Inscribitur: « *Sermo de Ascensione. Barth.* »; incipit: « *Exaltare super coelos Deus et super omnem terram gloriam tuam. Nunc in Ecclesia* »; explicit: « *Ad istam terram nos perducat bonus Deus in saecula saeculorum. Amen* ». Eiusdem indolis ac praecedens. Aliquando coincidentia litteralis. Cf. fol. 56 v a cum 217 v a.

III. — De Quaestionibus Disputatis.

Ex studiis P. Longpré 35 quaestiones disputatae quae Bartholomaeo attribuuntur cognoscebantur. Novas inquisitiones feci, quibus sex alias quaestiones necnon plures notitias de aliis inveni.

Completior series harum Quaestionum, quae etiam indicantur in inventario Bibliothecae Franciscanae S. Fortunati, Tuderti (*Todi*), et in catalogo Bibliothecae S. Francisci, Senis [2], habetur in *Plut. XVII sin., cod. 8*, fol. 77 va-144 rb Bibliothecae Laurentianae, S. Crucis, Florentiae (= **F**), qui continet 35 quaestiones.

Sequentes vero codices etiam Quaestiones disputatas Bartholomaei praebent: ms. *Theol. IV, n. 160*, fol. 1 ss. Bibl. Publ. Reg. Stuttgartiensis (= **S**), cum 24 quaestionibus, novas quinque praecedentibus

(1) L. c., V, Paris 1892, 153.

(2) Cf. Longpré, l. c., 371 s.; Papini, O. F. M., *L'Etruria Francescana*, Siena 1797, p. 128, n. 311: « Quaestiones dominicales magistri Bartholomaei, satis bona littera magni voluminis ».

addens. Ms. *Burney 358* (Plut. CLXI, H), fol. 17 ss. ex Bibl. Musaei Britannici, Londini (= **L**), cum 9 quaestionibus. Ms. *Borghes. Lat. 361*, fol. 167 rb 172 vb Bibl. Vaticanae (= **V**), cum 3 quaestionibus, unam praecedentibus addens. *Ms. 457*, fol. 39 va ss. Bibl. Arsenalis Parisiensis (= **P**), cum 3 quaestionibus.

1) **F**: saec. XIV inc., pergam., mm. 210 × 300 fol. 4 + 180 + 3, binis columnis exaratus, continet diversa opuscula, sermones ac Quaestiones disputatas absque ulla auctorum indicatione [1]. Fol. 10 ra-21 vb continetur *Tractatus De Luce* Bartholomaei Bononiensis et fol. 77 v-145 r habentur 35 *Quaestiones disputatae* anonymae. In facie primae quaestionis, fol. 77 v a, marg. sin. manu antiqua notatus plumbo: « *hic incipiunt quaestiones disputatae* (?) *anonymae* ». Harum Quaestionum 19 certo tribui possunt Bartholomaeo cum in S illi tribuantur; aliae vero 16 nequeunt eadem certitudine eidem tribui, licet cum magna probabilitate ei adscribantur, quia pertinent ad eandem seriem et Quaestiones identificatae ex S aliis permiscentur; agitur enim de Quaest. 1-10, 25-26 et 29 35. Aliarum Quaestionum, nempe 11-24 et 27-28, securior identificatio possibilis forsitan foret mediante examine intrinseco, sed hoc scopum huius introductionis praetergreditur.

2) **S**: saec. XIII, membr., mm. 270 × 160, fol. 1 + 113 + 1, una col., fere semper eadem manu exaratus. Fol. 1 v tabula Quaestionum binis col. exarata: col. a in princ., marg. lat., manu contempor.: *Bartholomaeus*, enumerantur 24 Quaestiones; deinde adhuc in marg. lat.: *Guillelmus*, enumerantur 9 Quaestiones; postea in marg. sup. col. b iterum *Guillelmus*, enumerantur 24 Quaestiones [2]. Sequitur « *Quaestio*

(1) Cf. Longpré, *Guillaume de la Mare*, O. F. M., in *La France Franc.*, V, 1922, 294.

(2) Ms. videtur ergo distinguere inter primum et secundum G. tam ex diversa enumeratione Quaestionum quam ex repetitione nominis. Identitas tamen auctoris certior mihi videtur quia primae 9 Quaestiones ab eadem manu transcribuntur (ib. 79 v-81 r) quae *Tabulam* exaravit quaeque notas marginales addidit. Agitur forsitan de posteriori inclusione. Alia de hoc cf. apud P. F. Pelster, S. I., *Les « Declarationes » et les Questions de Guillaume de la Mare*, in *Recherches de Théol. anc. et méd.*, III, 1931, 405 s. Istae Quaestiones sic enumerantur ex tabula, fol. 1 v: 1. *Utrum angelus sit compositus ex materia et forma*; 2. *Utrum sit eadem materia per essentiam in spiritualibus et corporalibus*; 3. *Utrum materia sit eadem secundum numerum in quolibet et eadem secundum essentiam*; 4. *Quaeritur utrum angelus cognoscat omnia que cognoscit per species innatas vel aliqua cognoscat per species acquisitas*; 5. *Utrum demones possint sensus humanos deludere*; 6. *Utrum angelus possit illuminare intellectum alterius angeli vel etiam hominis*; 7. *Utrum eadem sit materia inferiorum et superiorum corporum*; 8. *Utrum lux sit forma accidentalis*; 9. *Utrum corpora primorum animalium fuerint composita ex 4 elementis* ». Aliae 24 Quaestiones, quae enuntiantur in tabula post praecedentes, habentur in hoc vol. fol. 82 r-111, sed abbreviatae. Fol. 82 r: « *Incipiunt quaestiones*

Iohannis de Pistano (sic): *utrum contingat* » etc., uti transcribit P. Longpré ([1]). Tabula terminatur quibusdam versibus. Fol. ultimo supplem. invenitur alia tabula Quaestionum incompleta non pertinens ad hoc volumen. Uti apparet ex tabula initiali, Quaestiones Bartholomaei inveniuntur in prima parte voluminis, nempe a folio 1 r ad 79 r. Fol. 1 r in marg. superiori manu contempor.: « *Istae quaestiones sunt disputatae et determinatae a fratre Bartholomaeo de Bolonia magistro in theologia tunc regente Parisius* ». Ex 24 Quaestionibus quae sequuntur 19 concordant, uti dixi, cum F, aliae vero 5 adduntur seriei generali, suntque Quaestiones de anima quae infra enumerantur 19-23.

3) **L**: saec. XIV inc., membr. mm. 310 × 220, scriptura italica fol. 3 + 100 + 1, una col., lin. 42 exaratus ([2]). Post Quaestiones G. de la Mare ([3]) continet fol. 17 r-31 v 9 Quaestiones de creatione, anonymae, quae tamen ipsi Bartholomaeo adscribi debent, quia concordant cum F et S. Post Quaest. Barth. sequuntur *Quaest. de cognitione* Matthaei ab Aquasparta ([4]).

4) **V**: saec. XIII ex., membr., mm. 320 × 240, fol. 223 binis col., diversa manu exaratus. Continet fol. 1 r a-127 r a: Quaestiones et Quodlibeta Rich. a Mediavilla; fol. 128 r a-167 r b: Quaestiones Guillelmi de Mara. Fol. 167 r b: « *Expliciunt Quaestiones magistri Guillelmi de la Mare de ordine fratrum minorum* » (eadem manu); deinde fol. 167 r b-172 v b sequuntur 3 Quaestiones anonymae, quarum 2ª et 3ª identificantur ex S cum 2 Quaest. de Assumptione Fr. Bartholomaei ([5]); altera vero, de cuius authenticitate dubitat Longpré ([6]), Bartholomaeo adscribenda mihi videtur, quia in aliquibus fere ad litteram concordat cum *Tractatu De Luce* ([7]). Fol. 173 r a ss. sequuntur Quaestiones S. Thomae *de malo* et aliae.

---

disputatae et determinatae a magistro Guillelmo anglico ordinis fratrum minorum tunc regente Parisius. Deo gratias ». Dę his cf. Longpré, *Guillaume de la Mare*, l. c., 290 ss. et Pelster, l. c., 402 ss.

([1]) *Bartolomeo di Bologna*, l. c., 372.

([2]) Quaestiones Bartholomaei scribuntur 1 col., aliae 2 col.

([3]) Cf. Longpré, *Guillaume de la Mare*, l. c., 293.

([4]) Cf. Matth. ab Aquasparta, *Quaestiones de Fide et de Cognitione*, Quaracchi 1903, XVI.

([5]) Iam edidit Augustinus Denefle S. I., *Opuscula et textus*, Series scholestica, fasc. IX, Monasterii 1930.

([6]) L. c., p. 292, n. 1; id., *Bartolomeo di Bologna*, l. c., 375.

([7]) Adnotentur haec verba fol. 168 r b: « sicut enim speculum directe soli conversum illuminatur in plenitudine et per obliquum minus illuminatur et totaliter adversum nihil illuminatur, ita anima, quae est quoddam speculum spirituale, totaliter ad dominum conversa recipit lumen caritatis in plenitudine et si modicum obliquatur minus recipit ipsam divinam influentiam propter inductionem malae dispositionis. Sicut enim aër bene dispositus bene illuminatur, male dispositus ut per impedimentum terrestrium vaporum vel nubium male illuminatur, sic anima etc. ». Cf. *De Luce*, pars 1, c. 3; p. 2, c. 2; p. 3, c. 3. Adnotetur tamen quod in dicta quaest. Auctor citat non propriam sed aliorum sententiam, licet propriis verbis.

5) **P**: saec. XIII, membr., fol. 109 + 2, binis col. exaratus ([1]). Fol. 39 v a-48 (?) continet 3 Quaestiones anonymas, quae tamen adscribi debent Bartholomaeo, quia identicae sunt cum Quaest. 2, 4 et 18 S ([2]).

In praebenda tabula completa Quaestionum Bartholomaei adnoto quod titulos singularum Quaestionum transcripsi ex codice ms. qui immediate citatur.

1. — Quaestiones de primo principio et de creatione.

1. Quaeritur utrum primum principium ante productionem rerum creatarum producat aliquid sibi consubstantiale et intrinsecum quod nos dicimus Deum sive Filium. S 1 r, F 77 va, L 17 r.

2. Quaeritur utrum primum principium potuerit seipso immediate producere multitudinem rerum an necesse habuit primo unum solum producere et per illud postea producere multitudinem creatorum. S 4 v, F 79 vb, L 18 v, P 42 va.

3. Quaeritur utrum primum principium potuerit ex tempore aliquid de novo producere per seipsum immediate sine suae voluntatis innovatione vel sine ulla nova dispositione ei superveniente. S 8 r, F 82 ra, L 20 r.

4. Quaeritur utrum primum principium produxerit omnia simul sub suis formis perfecte distincta, aut facta sit distinctio per senarium dierum. S 10 v, F 141 rb, L 21 r.

5. Quaeritur utrum primum principium cum sit summae identitatis, non obstante illa identitate producere potuerit vel possit res in quantacumque diversitate vel contrarietate scilicet generum et specierum et contrariorum individuorum et huiusmodi. S 14 r, F 83 rb, L 23 v.

6. Quaeritur utrum sint duo prima principia. S 17 v, F 144 rb, L 25 r.

7. Quaeritur utrum Deus agat per solum voluntatis imperium vel per extramissionem virtutis sicut sol agit virtutem suam diffundendo in spatium medium quousque attingat obiectum, et similiter agit ignis et sic de huiusmodi. S 21 v, F 93 rb, L 27 r.

([1]) Pro accuratiori descriptione huius cod. cf. Glorieux, *Pierre de Falco*, in *La France Franc.*, XII, 1929, 271 ss.

([2]) De authenticitate 3ae Quaest. « Utrum anima primi hominis et per consequens quaelibet alia anima sit producta de Dei substantia » adhuc dubitabat Glorieux. l. c., 275.

8. Quaeritur utrum Deus possit producere aliquid de nihilo, id est post nihil. S 24 r, F 85 r b, L 28 v, P 39 v a.

9. Quaeritur utrum Deus potentiam creandi possit alii communicare. S 28 v, F 88 r a, L 31 v (incompleta).

10. Quaeritur utrum primum principium sicut est primum principium productivum omnium, ita etiam sit finis omnium productorum ultimus. S 31 v, F 90 r a.

11. Quaeritur utrum primum principium agat immediate in omni actione agentium creatorum. S 34 r, F 91 v a.

12. Quaeritur utrum primum principium produxerit omnia ad exemplar extrinsecum vel intrinsecum. S 36 v, F 95 r a.

13. Quaeritur utrum mundus potuit ab aeterno creari. F 97 r a.

2. — Quaestiones de fide.

14. Quaestio est utrum sit necessarium ad salutem credere aliqua quae non possunt convinci per naturalem rationem. S 40 r, F 127 r b.

15. Quaestio est utrum quilibet in sua fide possit salvari, an solum sit una fides tantum in qua sit salus. S 43 r, F 130 r a.

16. Quaestio est utrum fidei christianae possit subesse falsum et hoc est quaerere utrum sermones complexi qui sunt veritatem articulorum fidei enuntiativi possint esse falsi. S 47 r, F 133 r a.

17. Quaeritur utrum verum quod subest articulis fidei christianae sit verum quod a parte sua sit demonstrabile quantum est ex sua ipsius propria certitudine, licet nos non possimus ipsum demonstrative probare propter defectum ignorantiae nostrae. S 50 r, F 135 r b.

18. Quaestio est, supposito quod tantum sit una lex sive fides in qua sit salus, utrum illa fides sit fides christianorum. S 53 v, F 137 v b.

3. — Quaestiones de anima.

19. Quaestio est utrum anima primi hominis et per consequens quaelibet alia anima sit producta de Dei substantia. S 58 v, P 45 r a.

20. Quaestio est utrum anima rationalis sit composita ex materia et forma. S 63 v ([1]).

21. Quaestio est utrum anima Adae vel aliqua alia anima alicuius hominis producta fuerit ante corpus suum vel solum post. S 71 v.

22. Quaestio est utrum anima rationalis sit ex traduce, hoc est utrum anima rationalis traducatur sicut caro traducitur ex carne. S 73 v.

([1]) Haec quaestio interrumpitur fol. 64 r et continuatur fol. 70 ss.; revera fol. 64 r in fine legitur: « require residuum huius quaestionis in principio illius sexterni qui sic incipit: Item magister dicit in somniis etc. ». Fol. 64 v-69 r sequuntur 2 quaestiones de Assumptione, quae infra enumerantur.

23. Quaestio est utrum in quolibet homine sit tantum una anima an plures substantialiter differentes. S 76 v.

4. — Quaestiones de B. M. Virgine.

24. Quaeritur utrum assumptio et resurrectio Dominae nostrae debuerit praevenire generalem corporum humanorum et sanctorum resurrectionem et proprii sui corporis incinerationem. S 64 v, F 115 v a, V 168 v b.

25. Quaeritur secundo utrum debuerit esse mora aliqua inter glorificationem corporis gloriosissimae Virginis Matris, an in eodem momento debuerit simul glorificari anima ipsius et caro. S 67 r, F 117 v a, V 171 r b.

26. Quaeritur tertio loco utrum gloriosa Virgo in sua Assumptione debuerit ascendere super omnes choros angelorum et super omnem puram creaturam. F 119 r a.

27. Quaeritur quarto utrum per Assumptionem Dominae nostrae accreverit aliquod festum vel aliquod speciale gaudium civibus supernae patriae. F 124 r a.

28. Quaeritur utrum Virgo gloriosa concepta fuit in originali peccato. F 111 r b.

29. Iuxta hoc quaesitum est utrum liceat Festum Conceptionis Virginis celebrare. F 112 r a.

5. — Quaestiones de furto et de re morali.

30. Primo ergo quaeritur si raptor vel fur possit in aliquo casu absolvi ab obligatione restitutionis. F 105 v a.

31. Quaeritur ergo si ille qui recuperat rem subtractam sibi furto vel violentia vel aequipollentem furtive vel violenter, tenetur ad restitutionem rei quam sic recuperavit. F 106 r.

32. Consequenter quaeritur de illo qui simulatione religionis acquirit aliquid sicut facit hypocrita, si tenetur ad restitutionem. F 106 v b.

33. Consequenter quaeritur si dives, mentiendo se esse pauperem, acquirat aliquid tenetur ad restitutionem. F 107 r b.

34. Consequenter quaeritur specialius de aliquibus participantibus cum fure. Participat enim aliquis re furtiva aut per successionem haereditariam, aut per dationem, aut per contractum venditionis et emptionis. Ponatur ergo talis casus quod aliquis paterfamilias decedat qui habet tres marcas auri, quarum una est furtiva, et dimittit eas filiis suis, cuilibet unam, non determinans quae sit furtiva, sed in generali dicens unam illarum esse furtivam; quaeritur an quilibet illorum per se teneatur restituere marcam, an omnes simul sumpti, ita quod nullus per se. F 107 v a.

35. Consequenter quaeritur si turpiter acquirens, ut aleator vel lusor, alio modo ut meretrix teneantur restituere sic acquisitum. F 107 v b.

36. Similiter quaeritur de acquisitis in torneamentis utrum debeant restitui. F 108 r a.

37. Quaeritur de primo praecepto primae tabulae ubi dicitur Ego Dominus Deus tuus, non habebis deos alienos coram me, nec facies sculptile etc., non adorabis eos neque coles, quaeritur utrum praeceptum istud sit rationale. F 108 r a.

6. — Quaestiones variae.

38. Quaeritur utrum defectus veniens in nos per originem possit habere rationem culpae. F 99 v a.

39. Quaeritur utrum intellectus magis elevetur in obiectum suum quam affectus, et per quam istarum potentiarum anima rationalis possit in Deum plus ac perfectius attingere et moveri in ipsum. F. 101 v a.

40. Consequenter quaeritur quid sit illud quod quandoque apparet in specie carnis vel pueri in altari, an sit corpus Christi. F 115 r a.

41. Quaestio est utrum caritas sit indiminuibilis secundum substantiam. V 167 r b.

IV. — De tractatu De Luce ac de eius authenticitate.

Alterum opus Bartholomaei Bononiensis, de quo hic speciali modo agendum, quidam est tractatus de illis verbis Domini « *Ego sum lux mundi...* », qui vocatur communiter tractatus *De Luce*.

De hoc tractatu, qui numeratur in catalogo antiquae Bibliothecae S. Francisci, Senis (1), quique in duobus mss. mihi notis asservatur, mentionem faciunt diversi scriptores, licet non ex toto conveniant quoad eius auctorem. Proinde quaestio de authenticitate imprimis proponenda est.

Hic tractatus invenitur in *Plut. XVII sin., cod. 8,* fol. 10 r-21 v Bibl. Laurentianae [= F] anonymus et in ms. *Canonic. Lat. Script. Eccl. 52,* fol. 96 r-99 r Bibl. Bodleianae [= B] cum sequenti inscriptione:

(1) Iste catalogus a. 1481 n. 187 sic habet: « Tractatus de luce fratris Bartholomaei de Bononia cum aliquibus aliis tractatibus in competenti volu- [illegible] Cf. Bonini, *L'Etruria Francescana*, 124; Longpré, l. c., p. 376, n. 1.

« *Incipit tractatus magistri Bartholomaei Bononiensis de luce* ». Ampla excerpta huius tractatus habentur in *Sermone de Nativitate Domini,* uti supra adnotavi et in opere *De virtutibus* seu *De exemplis naturalibus* a Servasancto conscripto anno c. 1290 (1).

Sed hic eadem quaestio occurrit ac supra circa auctorem Sermonis de B. Andrea, quia neque ex citatis mss., uti patet, neque ex scriptoribus sufficienter determinatur auctor tract. *De Luce*. Quisnam est igitur Bartholomaeus iste de Bononia?

Anno 1555 Simlerus et anno 1606 Possevinus tractatum *De Luce* tribuunt Bartholomaeo de Bononia absque ullo addito circa auctorem eique nullum aliud opus adscribunt (2). Ciacconius vero in sua *Bibliotheca* edita Parisiis a. 1731, Bartholomaei indicat patriam, nempe Bononiam, Ordinem religiosum, i. e. Praedicatorum, eique tribuit, praeter tract. *De Luce, Postillam in Lucae Evangelium et in omnes Epistolas canonicas* (3). Incertum est utrum Ciacconius hunc Bartholomaeum eundem habeat ac alium de quo agit in secunda parte textus allati, quin novam incipiat lineam, contra ac solet facere prò aliis auctoribus. Notandum insuper quod hic auctor nulla citatione vel documento suas assertiones iustificat, qua ratione existimo ex errore eum tribuisse tractatum *De Luce* illi Bartholomaeo de Biscia, patria Bononiensi, cui etiam Quétif-Echard eadem opera adscribunt, excepto tamen tract. *De Luce* (4). De caetero Mazzuchelli Bartholomaeum, auctorem tract. *De Luce,* distinguit tam ab homonymis auctoribus qui saec. XIV floruе-

(1) Sermo reproducit fere ad litteram secundam partem tractatus; Servasanctus praeterea exhibet primum caput III^ae partis, in quo de Fide agitur.

(2) Josias Simlerus, *Epitome Bibliothecae Conradi Gisneri,* Tiguri 1555, 24 v; Antonius Possevinus, S. I., *Apparatus sacer,* I, Venetiis 1606, 631.

(3) Alphonsus Ciacconius (Chacon), O. P., natione Baeticus, patria Biatiensis, conventus S. Thomae Hispalensis alumnus et prior, adhuc vivebat a. 1601. En eius verba l. c. 342: « Bartholomaeus Bononiensis, patria et cognomine, Ordinis praedicatorum, scripsit Postillam in Lucae Evangelium, et in omnes epistolas canonicas. Item tractatum de Luce super illud Evangelii Ego sum lux mundi. Bartholomaei Bononiensis Poëma de rebus variis quae acciderunt anno 1492 lingua etrusca extat manuscriptum in Bibliotheca Hispalensi Coloniana, quo anno floruit auctor ».

(4) *Scriptores Ord. Praed.*, 752: « Fr. Bartholomaeus Biscia seu delle Biscie Italus patria Bononiensis a Ioanne Antonio Bumaldo *Minerval. Bononien.* laudatur ceu qui sacri palatii magister fuerit, exinde episcopus Astensis assumptus, quique teste Nicolao Piscalino et Alidosio reliquerit: *Commentaria* seu *Postilla super Evangelia Matthaei et Lucae et super epistolas canonicas...* ».

runt in Ord. Praed., quam ab alio Bartholomaeo de quo loquitur Ciacconius in secunda parte textus citati ([1]).

His stantibus, evidens mihi videtur Ciacconium confusionem fecisse, praesertim quia tractatus *De Luce* exaratus est ante a. 1290 vel etiam ante 1280, dum e contra Bartholomaeus, de quo Ciacconius, mortuus est a. 1409 ([2]). Si vero externa argumenta intrinsecis corroborentur, authenticitas huius tractatus indubitabilis mihi videtur; quapropter argumenta quibus P. Longpré probat identitatem inter auctorem *Quaestionum disp.* et auctorem tract. *De Luce* decisiva hic apparent ([3]).

V. — De divisione et argumento tract. De Luce.

Tractatus *De Luce,* iuxta externam eius dispositionem dividitur in sex partes, excepta tamen pulcherrima introductione in qua auctor thema suum eligit ac proponit ex verbis Salvatoris: *Ego sum lux mundi* etc. (F 10rab) ([4]).

In prima parte Bartholomaeus, incipiens a luce *stricte* considerata, prout nempe distinguitur a radio, lumine et splendore, probat (5 rationibus) quare Christus se dixit lucem et non radium vel lumen aut splendorem. (F 10va-13ra fin.).

In secunda parte vero disserit de diversis modis quibus a prima luce (Christo) radii spirituales et intellectuales splendores emanant. (F 13ra-13vb dim.).

In tertia parte auctor noster diffuse agit de dispositionibus quae requiruntur in anima ad recipiendam divinam illuminationem, nempe de fide, de humilitate etc. (13vb-16vb princ.).

In quarta parte, quae longior est, exponuntur operationes quas lux divina perficit in anima humana, *quatenus illuminat.* (F 16vb-21ra princ.).

([1]) Cf. *Gli Scrittori d'Italia,* vol. II, p. III, Brescia 1762, 1460 ss. Enumeratis diversis Bartholomaeis ex O. P. de quorum vita et operibus non certe constat, sequitur [1461]: « Altri Bartolomei diversi per avventura dai suddetti troviamo mentovati dagli Scrittori. ...[1462] Un Bartolomeo da Bologna compose un *Tractat. De Luce super illud dictum Evangelistae Ego sum lux mundi.* — Di un Bartolomeo di Bologna si ha pure un poema » etc. sicut Ciacconius quem citat.

([2]) Cf. Fabritius, *Biblioth. Lat. med.* etc., I-II, 164.

([3]) L. c., 375-377.

([4]) Cfr. P. quia completior. De differentia inter F et B agam infra

In quinta parte vero Bartholomaeus, ad primam partem rediens, iterum probat quare Christus se dixit lucem, et rationes desumit ex ipsius lucis *larga* consideratione, prout nempe identificatur cum radio, lumine et splendore. (F 21ra-21va fin.).

In sexta parte tandem loquitur de operationibus quas lux divina producit in anima *quatenus caloris introductiva* et ita connectitur cum quarta parte, in cuius introductione (F 16vb circa finem) haec eadem pars annuntiatur. (F 21va-21vb).

Hinc, praescindendo a dispositione externa, totus tractatus reducitur ad 4 partes principales quarum prima et quarta quintam et sextam respective sibi subdunt iuxta sequentia schemata:

Schema externum

I — II — III — IV — V — VI

Schema internum

I — II — III — IV

a *b* (V) *a* *b* (VI)

Quare Bartholomaeus in expositione secutus sit primum schema quod minus consonat cum intrinseca dispositione tractatus, accurate indicari nequit, quamvis possint aliquae hypotheses proponi. Et quidem:

1) Quoad *quintam partem* tractatus notari potest Bartholomaeum in I parte nullimode eam annuntiasse, dum e contra explicitis verbis in V parte de prima loquitur, delimitando et melius determinando characterem seu statum quaestionis (F 21ra). Ex hoc licet arguere Bartholomaeum minime cogitasse de V parte dum primam scriberet eamque uti *corollarium* in fine tractatus addidisse. Hoc confirmatur *a*) ex facto quod Bartholomaeus, uti infra patebit, ordinate semper procedit et partes secuturas iuxta earum concatenationem semper *praedisponit* et *praeparat; b*) ex minore momento huius V partis respectu tam primae partis quam totius tractatus, unde auctor brevissime eam absolvit.

2) Quoad sextam partem vero quaestio non tam facile solvi potest, eo quod Bartholomaeus (F 16vb fin.) eam uti subdivisionem quartae partis proponit. Quare ergo eam absolvit post quintam? Quamvis oblivio ex parte auctoris non improbabilis appareat, tamen explicitae eius intentioni hoc

potius tribuendum censeo. Sexta pars revera iuxta intentum seu schema auctoris longiorem exquisivisset tractationem, quam tamen ex defectu temporis minime praebere potuit. Hinc, expleta aliarum tractatione, Barth. hanc partem breviter proponit tanquam thema « alteri tempori vel alterius considerationi » remittendum. « Haec tamen omnia — ipse dicit — et omnes alios lucis effectus quos habet in quantum est caloris introductiva et naturaliter prosequi et spiritualiter interpretari relinquuntur ad praesens maiorum investigationi, vel saltem alii liberiori et aptiori tempori, quoniam utroque praedictorum modorum ista prosequi non competit praesenti festinationi ». F 21 v b fin.

Cl. P. Longpré (¹) tractatum *De Luce* in 2 partes distinguit, prout nempe Bartholomaeus loquitur de luce sub *stricta* et *larga* eius notione, sed hanc divisionem relinquere debui ex impossibilitate reducendi themata II^ae^, III^ae^ et IV^ae^ partis ad thema I^ae^ partis tanquam eius intrinsecae subdivisiones. Auctor enim in I^a^ parte tract.. uti iam vidimus, ostendere vult quare Christus se dixit lucem potius quam radium etc., dum in reliquis partibus, comparationem hanc omnino seponens, ostendit simpliciter *quomodo, quibus conditionibus* et *quid* lux divina operetur in anima humana. Singulae partes proinde, quamvis logice inter se concatenentur, proprium ac distinctum habent thema.

Praeter partium distinctionem Barth. explicitis verbis ponit etiam subdistinctionem *capitum*, quamvis de hac subdistinctione mss. vix iudicium aliquod externum praebeant.

Ita v. gr. fol. 12 v a, lin. 50 legitur: « facta est tota haec digressio a *tertio capitulo* »; ib., col. b, lin. 21-23: « de quo quidem subiecto licet aliqua in *proximo praecedenti capitulo* sint dicta, adhuc tamen in hoc *praesenti capitulo*... addantur alia »; ib., lin. 37: « ut dicitur in *proximo praecedenti capitulo* ». Item fol. 21 r a, lin. 40: « ut declaratum est *supra capitulo* [?] »; ib., col. b, lin. 6-7: « sicut *superius* [?] *capitulo* est declaratum ». Haec ultima citatio refertur ad IV^am^, reliquae omnes ad I^am^ partem tractatus; quoad alias partes nullius capitum distinctionis mentio habetur.

Ex istis datis licuit I^am^ partem distinguere in *5 capita* iuxta numerum *rationum* quae ibi adducuntur; IV^am^ partem vero distinxi in *8 capita* iuxta numerum effectuum lucis qui ibidem exponuntur. Distinctio quam introduxi in secundam [*2 capita*] et III^am^ partem [*3 capita*] est partim arbitraria partim in ipso textu fundata, uti facile est videre. Quintam et sextam partem — data earum brevitate — non potui per capita distinguere.

(¹) *Bartolomeo di Bologna*, l. c., 375.

Circa formam schematicam tractatus notari debent etiam nonnullae *omissiones* et *inversiones* quae aliquando occurrunt. Ita v. gr. fol. 12 v b-13 r a, ubi auctor *quinta via* probat quare Christus se dixit lucem, omittit applicationem rationum *ad principale propositum*, quod tamen ibidem facturum se promiserat (fol. 12 v b, lin. 30), sicut IV^a^ ratio desideratur quam ibidem (lin. 44) annuntiaverat.

Item fol. 14 r a auctor asserit fidem *quattuor* effectus producere in intellectum, sed statim *quinque* effectus enumerat et in successivis rationibus *quattuor* tantum considerat, *quinto* omisso. Ubi vero probat (fol. 15 v a-16 v a) quod sanctitas et caritas disponunt ad illuminationem divinam, *4 viis* procedit quae non facile ab invicem discernuntur. Dicit enim quod sanctitas disponit ad illuminationem per comparationem intellectus ad id quod supra ipsum est [increata lux] et per comparationem intellectus ad inferiores vires brutales. *Primum* exponit absque ulla subdistinctione et tamen, expositione expleta, *tertia via* procedit quin de *secunda* locutus sit. Ubi tandem de effectibus agit divinae lucis, ordinem quem ponit in enumeratione (fol. 16 v b fin.) non servat in expositione (¹), sicut nec totum programma quod ibidem (fol. 17 r a) annuntiat, absolvit (²).

VI. — De unitate ac forma litteraria tract. De Luce.

Omissiones vel etiam inversiones quas supra enumeravi, etsi praeproperam festinationem auctoris aut forsitan distractionem aliquando demonstrent, non tamen vetant quominus

(¹) Ordo $\begin{cases} \text{enumerationis} = 1-2-3-4-5-6-7-8 \\ \text{expositionis} = 8-1-5-6-7-2-3-4 \end{cases}$ Notandum etiam quod post expositas duas proprietates, prosequitur ad *tertiam* dicens « ex hac *prima* proprietate sequitur secunda », quin expositionem primae proprietatis computet.

(²) Textus est valde obscurus: subdistinctio singularum proprietatum et obiectiones de quibus Bartholomaeus loquitur, de facto in sequentibus haud occurrunt, vel saltem distinctae non apparent.

tractatus *De Luce* unitatem compositionis ostendat et summam partium colligationem.

Hoc apparet in primis ex intrinseco processu ipsius tractatus. Auctor enim ostendere volens Christum esse lucem totius mundi, seu omnis spiritualis intellectualisque lucis fontem, prius describit naturam et proprietates huius lucis, deinde exponit quomodo lux radios suos emittat, postea vero quomodo eius radii efficaciter recipiantur ac tandem quid producant in anima. Nemo non videt logicam huius processus.

Unitas tractatus clare etiam eruitur ex modo quo auctor ab una parte tractatus ad alteram procedit; ita, e. g. a prima ad secundam transit: « habito ergo quare dicatur lux, videatur qualiter ab hac radii spirituales et intellectuales splendores emanant ». Secunda vero expleta, pulcherrima introductione ad tertiam progreditur prout « Ordinis consequentia exigit ». Exemplum unitatis tractatus revera elegans habetur etiam ex verbis Salvatoris *Ego sum lux mundi* etc., quae saepissime citantur et occasionem praebent auctori magis evolvendi suum thema (1). Unitas compositionis maxime tandem evincitur ex citationibus quibus frequenter ipse auctor ad proprium opus remittit vel citando capita, uti supra vidimus, vel generaliori forma, e. g.: *quod ostensum est supra, sicut supra dictum est, et probatur hoc infra latissime* etc. (2).

Si vero ad litterariam formam attendimus, unitas methodica iam inde a primis capitibus apparet. Auctor enim eodem schemate argumentationis fere semper procedit, id est: prius enuntiat veritatem = propositionem probandam, deinde ponit exemplum per modum explicationis, explicationem applicat ad principale propositum, dicta repetit paucis verbis et praebet conclusionem. Forma syllogistica saepe occurrit et valde praediligitur syllogismus dictus *sorites*, v. gr.: « Quanto aliquid plus habet de entitate, tanto plus habet de veritate, quanto... plus habet de veritate tanto plus habet de cognoscibilitate etc. » (3).

Notari etiam debet quod auctor res iterum ac iterum repetit quadam abundantia verborum et saepe etiam lamentatur quod temporis brevitas non permittat rem ulterius evol-

(1) Cf. Text., pars 3ª, *Introductio*, ib. c. 2 et alibi.
(2) Cf. Text., p. 4ª, *Introductio*, ib. c. 6; p. 3ª, c. 2 et alibi.
(3) Text., p. 4ª, c. 3.

vere: « de quo etiam multa essent dicenda, sed prohibet brevitas, quae tamen est multis auditoribus grata, quos intus totaliter possidere videtur accidia » (2).

Ultimo adnotare placet quomodo auctor, sicut ceterum multi Franciscani, exemplis et comparationibus ex natura desumptis, quibus anima manuducitur ad contemplationem immaterialium rerum, valde delectatur. Legantur e. g. comparationes inter luminaria materialia et spiritualia (3); inter modum quo spiritus vitalis derivatur a capite ad sensus et modum quo membra spiritualia communicant cum suo capite Christo (4); inter fenestram vitream pulchris coloribus ornatam et « animam sanctam quae est in templo Domini quasi fenestra vitrea variorum colorum pulchritudine picturata. Fenestra quidem est, quia per ipsam divina lux ingrediens irradiat intra ecclesiam; vitrea vero est propter perspicuitatis et claritatis munditiam; sed est diversorum colorum pulchritudine summi pictoris artificio decorata, quantum a sponso suo diversarum virtutum varietate est circumamicta » (5).

VII. — **De fontibus tract. De Luce.**

Bartholomaeus in praesenti tractatu citationes rarissime praebet et quaestiones circa aliorum doctrinam nunquam explicite proponit. Ipse enim recto itinere, modo independenti ac proprio ad scopum sibi praefixum tendit, quamvis ex thesauro scientifico, philosophico ac theologico sui temporis copiose hauriat.

Citationes quas explicite praebet raro nodum quaestionis attingunt, sed potius quaestionum adminicula, unde valde erraret qui dependentiam vel directionem doctrinalem Bartholomaei ex huiusmodi citationibus statuere vellet.

Primi fontes pro ipso sunt *S. Scriptura* et scientia *Perspectivae*. Ex *S. Scriptura*, uti iam vidimus, thema tractatus

(1) Hoc forsitan innuit tractatum conscriptum esse ad modum praelectionum, praesertim quia Bartholomaeus semper utitur verbis *dicere, audire, auditor* etc.
(2) Text., pars. 1ª, c. 4.
(3) Text., p. 2ª, c. 1. Haec comparatio reproducitur tam in libro *De exemplis naturalibus*, uti supra adnotavi, quam ab ipso Bartholomaeo in *Sermone de Nativitate Domini*.
(4) Text., p. 3ª, c. 3.
(5) Text., p. 4ª, c. 2.

desumit et praeter multiplices allusiones, plusquam 30 citationes habet, praesertim ex Novo Testamento. Ex scientia *Perspectivae* vero plurima desumit, quamvis expressas citationes 4 tantum habeat ex *Perspectiva* [Alhacen] (1).

Quoad hanc scientiam tamen Bartholomaeus nihil novi praebet, et sententiam propriam a sententia aliorum distinctam semel tantum proponit (2), unde difficile non erit ea omnia quae apud Bartholomaeum occurrunt apud alios perspectivistas invenire.

Aliorum auctorum ex quorum operibus citationes expresse desumuntur primatum tenet Philosophus [Aristoteles] qui sedecies citatur, magis tamen in re scientifica quam philosophica. Inter has citationes numeratur etiam una citatio ex *Libro Secretorum* pseudo-Aristotelis (3). Aliorum Graecorum, praeter Aristotelem, semel tantum citatur liber *De Speculis* (4).

Philosophorum Arabum ac Iudaeorum, praeter Alhacen, citatur ter Avicenna, bis Commentator [Averroes], semel *De ortu scientiarum* [Alfarabi], semel Constales [Costa-ben-Luca], *De differentia spiritus et animae.*

Inter Patres et Scriptores ecclesiasticos citatur quater Ps.-Dionysius (una citatio repetitur) et semel Commentator *super Angelicam Hierarchiam* (5). S. Augustinus bis tantum citatur, et semel allegatur *De spiritu et anima* Ps.-Augustini seu Alcher de Clairvaux (6). Semel citantur etiam Damascenus, *Logica* et [Gilbertus Porretanus] *De sex principiis.*

Si huiusmodi citationibus *allusiones* nonnullae addantur, generaliori modo expressae (7), tota litteratura tract. *De Luce*

(1) Omnes citationes suo loco praebentur.

(2) Text., p. 2a, c. 5.

(3) Cf. De Wulf, *Histoire de la Phil. Méd.*, I, Louvain 1924, 69.

(4) Hic liber generatim tribuitur Euclidi, sed probabilius adscribendus est Theoni; videtur enim desumptus ex opere graeco *Catoptrica* eiusdem (?) auctoris, licet exsistat solummodo in versione latina. Cf. I. L. Heiberg, *Euclidis opera omnia*, VII, Lipsiae 1895, XLIX s.

(5) Secundum H. Hurter, S. I., *Nomenclator litterarius*, IV, Oeniponte 1899, p. 203, n. 96 et H. Felder, *Storia degli studi scientifici etc.*, Siena 1911, 201, ille Commentator esset Thomas Gallus, dictus Vercellensis.

(6) Cf. De Wulf, i. c., 73, 174.

(7) V. gr. « sicut opinari non dubitamus peritissimos in physica » (Text., p. 1a, c. 2); « unde et philosophi de hac materia loquentes, maxime qui modernis temporibus in Arabia philosophati sunt, dicunt... » (ib., p. 3a, c. 3); « quemadmodum imposuerunt ei aliqui philosophi » (ib.).

absolvitur, quamvis *realis dependentia* huius tractatus ab aliis consimilibus maior sit quam quae expressis citationibus apparet.

Hoc tamen vindicandum est auctori quod tam scientiis, quam philosophia modo proprio et spontaneo utitur, sicut qui, re prius bene assimilata, de suo dat vel loquitur. Qua ratione Bartholomaeus uti optime scientiis, philosophia ac theologia imbutus nobis apparet.

VIII. — De codicibus manuscriptis tract. De Luce, de eorum diversitate ac de methodo servata in hac editione.

Tractatus *De Luce*, uti iam dixi, invenitur in 2 codicibus mss. nempe: *Florentiae, Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. XVII sin. cod. 8* [= F] et *Oxford, Bibl. Bodl., ms. Canonic. Patr. Lat. 52* [= B] (1).

F: littera gothica, binis col., 53 lin., nitide una manu exaratus, tract. *De Luce* continet fol. 10 r-21 v. Incipit: « *Ego sum lux mundi... Ratione ab intellectu inventa* »; explicit: « *melioris sententiae correctioni subiungantur* »; rubrica: « *Explicit Deo gratias. Amen* ». Caret omnibus litteris initialibus, quae tamen ponuntur parvis characteribus in margine. Notae marginales frequenter occurrunt usque ad fol. 12 r, deinde rariores evadunt, omnino cessant fol. 18 v a. Omnes fere notae scriptae sunt italicis characteribus a secunda manu, argumentum textus vel indicant vel synthetizant (2), aliquando corrigunt errata et etiam omissa supplent. Notatu digna sunt notae marg. fol. 14 r a, fol. 16 r a et aliae quae suo loco transcripsi. Usque ad fol. 13 r b textus signatur quibusdam lineis verticalibus, quae, in margine ductae ac lineolis horizontalibus secatae, argumentationes principales secundum singulas partes sequuntur et legenti facilius indicant. Tam notae quam lineae et alia signa conventionalia evidenter ostendunt ms. in usum fuisse alicuius studentis vel doctoris. Adnotentur etiam 4 vacua quorum 1) fol. 10 r b signat finem introductionis, 2) fol. 10 v a signat initium tractatus, 3) fol. 20 r b signat locum figurae quam amanuensis omittit, 4) fol. 21 v b signat *explicit* tractatus. Errores et omissiones quae textum afficiunt adnotantur in ipsa transcriptione.

(1) Hunc codicem mihi indicavit Revmus. Dominus Aug. Pelzer, pro qua benevolentia ei hic gratias ago.

(2) Ita fol. 14 r a, marg. inf., habetur nota quae synthetizat 4 rationes in textu positas fol. 14 r a-15 r a.

B: saec. XIV post dimid., membran., mm. 180 × 130, fol. 2 + 199 + 2, fol. 5, 23, 46, 67 duplicati, 2 aliquando 3 col., lin. 51 et plus, scriptura italica, fere integre eadem manu exaratus est (1). In dorso: « *S. Augustini De Cognitione verae vitae, Magistri Barth. Bon. De Luce et aliorum opuscula* ». Fol. 199 v annotatur manu posteriori « *Statio huius libri est in quarta sede a latere canalis — Iste liber est monasterii caritatis — Est monasterii * S. Bartholomei iuxta burgum Pusterlae ** » [Vicentia] (2). Fol. 199 r a ponitur tabula voluminis, n. 10: « *Tractatus magistri Bartholomei de luce, ego sum lux mundi.* 100 ». Hic tractatus incipit fol. 96 r b: « *Ego sum lux mundi... Cum nos inveniamus* »; explicit fol. 99 r b: « *vel saltem alteri tempori et haec sufficiant. Amen* ». Fol. 99 r b-99 v b: « *tabula super eodem tractatu scilicet de luce* ». Exaratur 2 col., 58 lin. et scriptura maxime abbreviata ac lectura difficili. Tres tantum notae marginales occurrunt (fol. 96 r b) secunda manu, quae vix ullam relationem habent cum textu (3). Singulae partes tractatus et subdivisiones singularum partium signantur in margine litteris alphabeticis. Scriptura est absque ullo ornatu et prima littera initialis deficit. Errores vel etiam omissiones saepe occurrunt ex quibus sensus verborum et contextus aliquando vix percipi potest.

B tractatum *De Luce*, uti iam eruitur ex paginatione, maxime abbreviatum et incompletum nobis praebet. Revera: 1) *omittit* Introductionem, tertiam partem tractatus, maximam partem c. 3 quartae partis et ultimam sectionem c. 6 eiusdem partis; in decursu vero tractatus ea omnia omittit quae iam dicta vel brevius repetunt vel longius evolvunt (4). 2) *Synthetizat* omnes alias partes, exceptis primis 4 capitibus primae partis et sexta parte, ubi fere ad litteram concordat cum F. 3) Praeter hoc adnotandum quod minime distinguit inter

(1) Pro accuratiori descriptione cf. De Coxe, *Catalogus Codicum mss. Bibliothecae Bodleianae*, p. 3a, Oxford 1854, col. 318-321.

(2) Verba ** inclusa expuncta sunt manu posteriori.

(3) Prima nota sic sonat: « Tanta est divini luminis infinitas, ut quocumque influat totum vas mentis impleat. Mentes tamen capaciores copiosius illud hauriunt, et omnes illud recipientes replentur eo sicut diluvio implentur et parva foramina et magni alvei. Angelica Ierarchia 3 ». Altera vero sic: « Anima nostra autem vero lumine illuminatur quod non extinguitur, id est Christo. Si non habet hoc lumen in se aeternum, temporali et extinguibili illuminatur ab illo qui transfigurat se in angelum lucis et falsa luce illuminat cor peccatoris, ut videantur ei vera bona esse quae caduca sunt... ». Tertia tandem dicit: « Divina bonitas omnibus intelligentibus semper uniformiter lucens, omnibus radios suae lucis largissime exponit. Qui ergo mentis oculos claudit vel avertit privatur lumine semper super radiante tanquam sole... ».

(4) Text., p. 4a, c. 7; ib., *Introductio* et alibi.

cap. quartum et quintum primae partis. Aliae mutationes secundariae quoad constructionem verborum et similia frequenter occurrunt. Raro aliquid novi addit (1).

Hac stante differentia inter F et B, quaestio oritur de eorum dependentia. Possunt enim fieri diversae hypotheses, v. g. quod B sit compositus ex adnotationibus durante praelectione desumptis, quod sit prima editio tractatus vel quod sit *abbreviatio* eiusdem. Prima hypothesis excluditur, quia non explicat totalem omissionem aliquarum partium; secunda deberet probari argumentis historicis, tertia vero hypothesis uti probabilior admittitur, utpote quae adaequatius explicat, ex particulari intentione amanuensis, tam omissiones quam syntheses et mutationes. De caetero minime dubitandum est de authenticitate partium omissarum in B, tum quia intime cohaerent cum aliis partibus, uti potest videri ex contextu, tum quia primum caput tertiae partis *cum secunda connexum* citatur a Servasancto iam inde ab anno 1290 (2).

Ex dictis patet quare in hac editione textum ex F desumpsi, variationes vero ex B indicavi. In transcriptione codicum secutus sum ortographiam modernam, unde loco *ymaginis, ypothesis, racionis, methaphysicae, methaphorae* etc., scripsi: *imaginis, hypothesis, rationis, metaphysicae, metaphorae* etc. Verba singulis partibus vel capitibus mea manu apposui, ea desumens aliquando ex notis marginalibus, semper vero adaptans contextui. Notas duplici serie distinxi, pro variationibus nempe et pro citationibus: prima indicatur litteris alphabeticis altera vero numeris arabicis. Indicavi etiam ms. F sec. folia et columnas, ut possibile sit citationes ex solo F factas aequali modo in hac editione invenire.

IX. — **Bibliographia**

Indicantur solummodo opera impressa et manuscripta ex quibus notitias collegi de vita et scriptis Fr. Bartholomaei de Bononia.

(1) V. g. F: « leo leonem, pirus pirum » — B: « leonem leo et capram capra ». F: « ut aliqui lapides pretiosi » — B: « ut carbunculus ». Aliquando B etiam corrigit F, quod singulis casibus notatur.

(2) *Liber de virtutibus et vitiis*, Florentiae, Bibl. Nat., cod. E 6: 1046 fol. 6 v b-8 r a.

I. Opera impressa.

Ciacconius, A., O. P., *Bibliotheca libros et scriptores ferme cunctos ab initio mundi ad annum MDLXXXIII ordine alphabetico complectens*, Parisiis 1731.

De Coxe, *Catalogus Codicum manuscriptorum Bibliothecae Bodleianae*, p. III[a], Oxford 1854.

Deneffe, A., S. I., *Gualteri Cancellarii et Bartholomaei de Bononia O. F. M., Quaestiones ineditae de Assumptione B. V. Mariae* (*Opuscula et Textus* Series Scholastica, IX), Monasterii 1930.

Fitzmaurice, E. B., O. F. M., et Little, A. G., *Franciscan Province of Ireland* (*British Society of Franciscan Studies*, IX), Manchester 1920.

Giordani, B., O. F. M., *Acta Franciscana e tabulariis bononiensibus deprompta*, I (*Analecta Franciscana*, IX), Quaracchi 1927.

Glorieux, P., *Pierre de Falco*, in *La France Franciscaine*, XII, 1929.

Golubovich, H., O. F. M., *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa*, II, Quaracchi 1913.

Hauréau, *Notices et extraits de quelques manuscrits latins de la Bibliothèque Nationale*, II, Paris 1891.

Histoire Littéraire de la France, XXVI, Paris 1837.

Lecoy de la Marche, *La Chaire Française au Moyen-âge, specialement au XIIIe siècle*, Paris 1886.

Liber Exemplorum, ed. A. G. Little (*Brit. Soc. of Franc. Stud.*, I), Aberdeen 1908.

Longpré, E., O. F. M., *Bartolomeo di Bologna, un Maestro Francescano del sec. XIII*, in *Studi Francescani*, IX, 1923, 365-384.

Mazzuchelli, *Gli Scrittori d'Italia*, III, p. 3, Brescia 1762.

Papini, O. F. M., *L'Etruria Francescana*, Siena 1797.

Pasinus, I., *Codices manuscripti bibliothecae Regii Taurinensis Athenaei*, II, Taurini 1749.

Picconi, O. F. M., *Serie cronologico-biografica dei Ministri e Vicari Provinciali di Bologna*, Parma 1908.

Possevinus, A., S. I. *Apparatus sacer*, I, Venetiis 1606.

Salimbene, A., O. F. M., *Chronica* (*Mon. Germ. Hist.*, Scriptores, XXXII), Hannoverae 1905-1913.

Sbaralea, O. M. Conv., *Bullarium Franciscanum*, III.

Simlerus, I., *Epitome Bibliothecae Conradi Gisneri*, Tiguri 1555.

II. Opera manuscripta.

A. — Sermones

1) *Sermo de Beato Andrea* et *Collatio*, Taurini, Bibl. Nat., cod. 1156, fol. 13 ss. — Cf. Oxford, Bibl. Bodl., ms. Bodl. 4. fol. 104r-107 v.

2) *Sermo in Ascensione Domini*, Parisiis, Bibl. Nat., cod. 10 698, [illegible]

3) *Sermo in Nativitate B. V. M.*, Oxford, Bibl. Bodl., ms. Ashmol. 757, fol. 255 v a-258 v b.

4) *Sermo in Festo Nativitatis Domini*, ib., fol. 363 r a-367 r b; iterum fol. 401 v b-405 v b.

5) *Sermo in Cathedra S. Petri* et *Collatio*, Worchester, Bibl. Cathedr., cod. 5, fol. 46 r a - 48 r a.

6) *Sermo in Resurrectione Domini*, ib., fol. 72 r a - 74 v a.

7) *Sermo in Sexagesima*, Paris., Bibl. Nat., ms. lat. 16.500, fol. 217 r b - 219 v a.

8) *Sermo de Ascensione*, ib., fol. 54 r a - 58 r a.

9) *Sermo de Annuntiatione Dominica*, Monachii, Bibl. Status, cod. 26941, fol. 57 v - 59 r.

B. — Quaestioness Disputatae

1) Florentiae, Bibl. Laurent., *Plut. XVII Sin., cod. 8*, fol. 77 v a-144 r b (= F).

2) Stuttgart, Bibl. Publ. Reg., ms. *Theol. IV n. 160*, fol. 1r-79r (= S).

3) Londini. Mus. Britt., ms. *Burney 358*, fol. 17r-31 v (= L).

4) Vaticanus, ms. *Borges. Lat. 361*, fol. 167 r b-172 v b (= V).

5) Parisius, Bibl. Arsenalis, *ms. 457*, fol. 37 v a - 45 r a (= P).

C. — Tractatus De Luce

1) Florentiae, Bibl. Laurent., *Plut. XVII sin., cod. 8*, fol. 10r-21 b (= F).

2) Oxford, Bibl. Bodl., ms, *Canonic. Lat. Script. Eccl. 52*, fol. 96r-99r (= B).

3) Florentiae, Bibl. Nat., ms. *Conv. Soppr. E. 6. 1046*, fol. 6 v b-8 r a [fragmentum] (= F[2]).

TEXTUS

[Introductio] (1).

[Thema Tractatus].

[f. 10 r a] *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. Io.* [8, 12][a].

Ratione ab intellectu inventa et experientia in sensu facta, perpendimus quod ibi[b] actionis difficultas non retrahit ubi obiecti suavitas attrahit.

---

[a] *ms.* Io. 4. [b] *add. mg.*

---

(1) Hanc introductionem om. B. Cf. *Prolegomena*, p. 224; pro divisione tractatus cf. p. 216 ss.

Ratio huius est quia ad illud obiectum velociter ac delectabiliter inclinatur omnis potentia, cui proportionatae sibi delectationis sentitur inesse copia (1). Docet enim sensitiva experientia quod ad illud gustabile velociter ac delectabiliter naturalis appetitus inclinat gustativam potentiam, cui convenientis sibi dulcedinis et sapiditatis aliqua praelibatione sentit inesse copiam. Et ad illum sonum delectabiliter inclinatur auditiva potentia, qui eam afficit suavissima melodia; et quoniam idem est in ceteris[a], ideo sufficit ex his tantum duobus per hypothesim arguere veritatem huius regulae generalis, videlicet quod ibi actionis difficultas non retrahit ubi magna obiecti suavitas attrahit.

Inde enim est quod fossor vix potest in fodiendo lassari, inventa copiosissima miniera auri; propter hoc etiam dulcescit labor quo testa frangitur, dum inventus nucleus degustatur.

Quoniam quando quorumcumque eadem est ratio, idem est etiam eventus secundum illam rationem, ideo per similitudinem ex praemissis possumus intelligere quod labor vacantium expositioni divinae Scripturae debet in eis dulcescere, si praesentiunt aliqua degustatione quod thesaurus vitae aeternae in eius invenitur exenteratione. Vitae autem huius thesaurum in eadem inveniri, ille suis fidelibus innotescit qui, dum eas texeret[b], sub earumdem textura ipsum abscondit, et nunc ad eius perscrutationem nos inducit, dicens: *Scrutamini*[c] *Scripturas, quia vos putatis in eis vitam aeternam habere. Io.* 5, [39][d].

Quemadmodum enim testa continet nucleum et urna manna absconditum, miniera perducit ad aurum et rectum iter viatores ad terminum; sic divina Scriptura et continet vitam aeternam, et recte ambulantes per eam deducet ad ipsam; et ideo per haec tria invenitur significari, scilicet per urnam mannatis contentivam, per minieram auri productivam et per viam itinerantium recte deductivam.

Recte enim intelligitur haec divina Scriptura per urnam illam (2) quam allegoricus vel anagogicus Moyses, Christus[e] videlicet, praecepit impleri caelesti mannate[f] et conservari in archa, id est in Ecclesia sua. Urna enim illa plena mannate est ipsa divina Scriptura plena caelesti dulcedine; eadem vero urna[g] in archa reposita est eadem divina Scriptura in christiana Ecclesia venerabiliter custodita. Recte et intelligitur per illum locum mineralis virtutis de quo *Iob.* 28, [1] in Spiritu loquitur amicis suis dicens: *Habet argumentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur.* Intelligitur etiam

[a] *ms.* certis [b] *ms.* rexeret. [c] *ms.* Scructamini. [d] *ms.* g. [e] *ms.* Christum. [f] *ms.* manna. [g] *ms.* una.

(1) Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, X, c. 4 (Parisiis, ed Didot, II. 120).
(2) Cf. Prod. 16, 32-33; Hebr. 9, 4.

per illam viam de qua exulantibus in hoc mundo et ad patriam redire cupientibus clamat *Isaias* 30, [21][a] dicens: *Haec via, ambulate in ea: non declinetis ad dexteram neque ad sinistram.*

Quamvis ergo, secundum praedicta, sic debeamus Scripturarum enucleationi vacare, illis tamen citius debemus obiectare oculum sub quibus, quasi lucidioribus et transparentiori[f. 10 r b]bus, velocius possumus invenire illud suavissimum obiectum in quo habemus aeternae vitae thesaurum, Christum scilicet Salvatorem nostrum.

Quia ergo illud quod sub ipsa luce est positum, hoc ipso quasi trahit aspectum ad seipsum videndum, ideo huius propositionis enucleationi iustum est aliquantulum intendere in qua Salvator noster se nobis in hac divina Scriptura videndum proponit sub lucis similitudine, dicens: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitae.*

Quoniam enim Salvator noster in aliis Scripturae locis considerandum se nobis proponit sub diversarum rerum metaphoris, videlicet leonis et agni, stellarum, solis et speculi (1) et sic de aliis, et nos prae debilitate intuitus nostri solem intueri non valemus, ad cognoscendam etiam stellarum naturam penitus insufficientes sumus, de speculis etiam conditione et diversa repraesentatione, quae in libro *De Speculis* (2) traditur, et in 5 et 6 et 7 *Scientiae et Perspectivae* (3) docetur, modicum intelligimus, ideo ipsum sub his metaphoris considerandum subtiliorum investigationi relinquimus.

Aliae vero Scripturae metaphorae, quae fere omnes sunt opacae naturae et hoc ipso ab ipso nostro debili oculo nequeunt videri perspicue, eo quod omnis res opacae et obscurae naturae quo minus participat de natura lucis, eo minus est visibilis, ideo etiam illarum consideratio relinquitur illis qui gaudent limpidioribus oculis. Nos autem ad praesens considerabimus ipsum propositum nobis similitudine lucis quoniam haec et per seipsam est visibilis, et confortativa est, et quasi in actum reductiva illius debilis luminis quod per naturam complantatum est nostris oculis (4).

[a] *ms.* d.

(1) Cf. Apoc. 5, 5; id. 12, passim; Num. 23, 7; Mal. 4, 2; Sap. 7, 26.
(2) Pseudo-Euclides seu Theonis, ed. Heiberg, *Euclidis opera omnia*, VII (*Euclidis optica, Opticorum recensio Theonis, Catoptrica cum Scholiis antiquis*), Lipsiae 1895.
(3) Alhazen, ed. Risner, *Opticae thesaurus Alhazeni arabis libri VII nunc primum editi, eiusdem liber De crepusculis et nubium ascensionibus*, Basileae 1572. Libri 5-7 huius operis agunt revera de speculis, de imaginibus, de refractione etc. Cf. l. c. 125, 188 et 231.
(4) Cf. Arist., *De anima*, II, c. 7 (III, 452 ss.); Alex. de Hales, *Summa*

[Pars Prima]

[Quare Christus dicitur lux]

[Rationes desumptae ex stricta lucis consideratione].

[fol. 10 v a] *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae* [*Io.* 8, 12].

Cum nos inveniamus lucem, lumen, radium et[a] splendorem, et inter haec reperire contingat proprietatum diversitatem, videndum est quare in proposito verbo Salvator non se dicat splendorem vel radium vel lumen[b], sed tantum lucem. Non enim credendum est quod ille qui perfectissimam habet creaturarum suarum cognitionem[c] magis se per unius quam[d] alterius manifestet metaphoram, nisi potius[e] illius quam alterius naturalium proprietatum conformitas exigat. Horum ergo 4 brevissima videnda est conditio ut ex hoc appareat quare in proposito verbo Salvator se assimilavit luci et non lumini, aut splendori vel radio (1).

[caput primum]

[Christus lux fons omnis luminis]

Ad cuius evidentiam notandum quod, sicut habetur in alia scientia (2) et traditur hoc[f] ab *Avicenna* in[g] *6 De Naturalibus*[h] (3), refert inter lucem, lumen, radium et splendorem. Lux enim nominat naturam lucis consideratam et exsistentem in fonte suo[k], id est in ipso corpore lucido. Radius autem dicit generationem similitudinis vel intentionis [f. 10 v b] illius fontalis lucis, quae est in corpore lucido, secundum diametralem processum factam in medio. Lumen vero nominat expansionem radiorum in medio factam secundum processum eorundem ad omnem positionis distantiam, id est, sursum, deorsum, ante et retro. Corpus enim lucidum diffundit lucem suam in circuitu sive

[a] B om. [b] B lumen, radium, vel splend. [c] B rerum omnium creatarum notitiam. [d] B *add.* per. [e] B *add.* quia. [f] B *om.* [g] B *om.* [h] B Naturalium. [i] F referet. [k] B suo fonte.

(1) Cf. S. August., *De Doctrina Christiana*, II, c. 16, n. 24, Migne, P.L. 34,47.

(2) Nempe perspectivae.

(3) Seu *De Anima*, III, c. 1, Venetiis 1550, fol. 12 r a, ubi Avicenna distinguit inter lumen, lucem et radium. Tota p. III, *De Anima* loquitur de visu et de re optica.

sphaerice[a] et in omnem partem, ut dicit *Commentator* super secundo *De Anima*, capitulo: *De visu et luce* (1), ita quod ipsum lucidum est quasi centrum et radii ab eo circa se in omnem partem geniti sunt sicut quaedam lineae imaginabiles ab ipso lucido procedentes. Limitatio vero ipsorum radiorum est quasi circumferentiale clausum[b] eorum, et sic est ibi quasi quidam circulus intelligibilis habens lucidum pro centro et radios pro lineis et limitationem radiorum, quia non possumus in infinitum procedere, pro clausura circumferentia. Diffusio ergo lucis quae exsistit intra centrum et circumferentiam in omnem partem expansa circa lucidum corpus proprie dicitur lumen.

Splendor autem dicitur secundum quod radii procedentes a corpore lucido perveniunt ad aliud[c] corpus tersum et[d] politum et lucidum, ut ad ensem vel tabulam deauratam, et repercutiuntur a corpore illo retrorsum, et ex tali resultatione facta a corpore illo polito et lucido fit multiplicatio luminis in medio et illa luminis multiplicatio propriissime dicitur splendor (2).

Ex praedictis autem, si quis consideret, patet quod lux est fontale principium omnium aliarum claritatum, scilicet radii, luminis et splendoris. Nam a luce procedit radius, a radiorum vero circulari generatione[e] circa lucem generatur lumen, a radiorum vero reflexione a corpore lucido et terso generatur splendor, et sic lux omnium harum corporalium claritatum est originale principium.

Volens ergo Salvator ostendere ad huius similitudinem se esse omnium intellectualium cognitionum et spiritualium illuminationum fontale principium, non dixit se esse radium vel[f] lumen sive[g] splendorem, sed dixit se esse lucem, ut omnium spiritualium illuminationum ostenderet se esse fontem. Patet ergo quare dixit *Ego sum lux mundi*, id est omnium intellectualium creaturarum exsistentium in mundo[h], et non dixit se illarum radium vel[i] lumen vel splendorem.

[a] B suae sphaerae. [b] B quaedam circumferentia ex clausura [c] B aliquod. [d] B *om.* [e] B diffusione. [f] B *om.* [g] B vel. [h] B in mundo exsistentium. [i] B *om.*

(1) Cf. ed. Venetiis 1562, fol. 82 v ss. Item R. Grossatesta, *De Luce seu inchoatione formarum*, ed. Baur, *Die philos. Werke des R. Gross.* (Beiträge IX), Münster i. W. 1912, 51; *Summa philosophiae R. Grossatestae adscripta*, tract. XIV, ed. Baur, 531-543 passim; Alex. de Hales, *Summa*, II, n. 263, *Solutio*.

(2) Fere eandem distinctionem inter lucem, radium etc. habent Pseudo-Grossatesta, *Summa philosophiae*, l. c., 535; S. Albertus Magnus, II, *De Anima*, tract. 3, c. 8, V, Parisiis 1890, 248[a]; *I Sent.*, d. 9, a. 8, XXV, 284[b]-285[a]; S. Thomas, *II Sent.*, d. 13, q. 1, a. 3 et multi alii in eadem distinctione.

[CAPUT SECUNDUM]

[Christus lux stabilis et quieta]

Secunda autem ratio quare se dixit lucem et non lumen aut [a] radium vel splendorem est haec. Sciendum ergo quod haec tria, scilicet radius, lumen et splendor, patiuntur circa suum esse triplicem ignobilitatis conditionem, scilicet: vicissitudinem successivam [b], existentiam fluxilem [c] et infirmam, et dependentiam [d] sui esse [e] continuam.

Quod autem circa esse eorum sit successio vicissitudinum continua apparet ex hoc quod fiunt per generationem speciei corporis lucentis in medio, quae quidem species et intentio lucentis corporis videtur esse in continuo exitu a suo principio, sicut opinari non dubitamus *peritissimos in physica* (1). Nihilominus tamen hoc tali potest deprehendi [f] experimento. Si quis enim opponat lucenti corpori aliquod speculum, constat quod per spatium [g], quod est medium inter ipsum corpus et speculum, transit radius a praedicto corpore [h] ad ipsum speculum. Ponatur ergo quod transeat per idem spatium [i] [f. 11 r a] ventus fortissimus impellens in praedictum radium per meatum eius transversaliter positum, constat quod propter nimiam radii debilitatem et venti impetuositatem, ipse ventus [k] ab eodem loco transportat radium, et tamen, quantumcumque quis aspiciat continue, numquam videbit quin semper appareat continue species oppositi corporis in speculo, quod esse non potest nisi per continuum processum radii ab opposito corpore ad speculum. Ergo radius continue aufertur per ventum et tamen continue procedit ad speculum, quod esse videtur propter continuam successionem factam in generatione radiorum, quia non potest ventus tam cito asportare unum, quam cito activa virtus corporis lucidi instaurat alium. Unde sicut calor, qui est qualitas activa corporis calidi [l], est in continua generatione caliditatis in eo quod calefacit, ita et lux, quae est qualitas activa corporis lucidi (2), videtur esse in continua generatione [m] luminis in eo spatio in quod ra-

[a] B *om.* [b] B excessivam. [c] B fluxibilem. [d] F appendentiam. [e] B *add.* infirmam. [f] B reprehendi. [g] B quod medium (?) [h] B *add.* genitus. [i] B per idem spatium transeat. [k] B *om.* [l] B calidi corporis. [m] B *om.* est... generatione.

(1) Quaestio de generatione specierum momentum habebat apud perspectivistas medii aevi. Cf. Rogerii Baconis, *De multiplicatione specierum*, Oxford 1897 (ed. Bridges, vol. II). Quoad terminos: *species, intentio* etc. cf. l. c. 409 s. Quaestio de exitu specierum a corporibus l. c., 431-438.

(2) Fere eandem definitionem habent S. Thomas, II *Sent.*, d. 18, q. 1, a. 3; Rich. a Mediavilla, l. c., a. 2, q. 1 et alii, qui citant Avicennam (*De Anima*, l. c.). Hanc definitionem non admittit Auctor *Sum. philos.* l. c.

dium suum immittit. Et si corpus lucidum est continue in activa generatione [a] istorum, ergo et haec sunt continue in passiva generatione sui esse [b], et sic, ut dicebatur, videtur quod circa esse suum habeant [c] continue vicissitudinem successivam et successionem vicissitudinariam.

Habent secundo existentiam valde debilem et infirmam, quoniam non habent esse substantificum [d] et naturale, sed fluxibile et intentionale (1). Probatio cuius haberi potest quattuor viis. Quarum prima est quia contrariorum qualitatum species in eodem puncto aëris [e] se compatiuntur et per eandem partem [f] deferuntur, quod facere non possent dum in suo [g] esse naturali exsistunt. Dum ergo sunt in medio genitae [h] non habent natura esse naturale [i], sed potius illius veri esse habent quoddam esse similitudinarium sive intentionale, et sic valde infirmum ac debile. Patet igitur [k] quanta sit in esse horum trium debilitas ex [l] prima ratione.

Secundo autem quanta sit eorum [m] tenuitas [n] apparet ex hoc quod transeunt per vitra et alia corpora transparentia. Corpora enim posita post ista videntur, sed uniuscuiusque rei visae [o] venit species ad perspicuum pupillae; ergo transit species rei visae post vitrum, citra vitrum et venit ad oculum, quod esse non posset nisi haberet esse tenuissimum.

Tertio apparet idem si quis consideret quantum incomprehensibilis eorum quantitas se compatiatur in eadem aëris parte prae ipsarum spiritualitate. Si enim ponatur unus oculus in aliqua parte, unde possit mediam partem caeli libere aspicere [p] vel [q] eius aliam maximam quantitatem, tunc videbit quasi innumerabiles [r] stellas in illa caeli quantitate positas. Hoc autem posito, sic propositum declaratur. Constat quod non potest eas videre nisi per radium uniuscuiusque stellae deferentem cuiuslibet speciem ad illud minimum aëris quod contingit pupillae. In illa ergo minima aëris parte, quae contingit punctum pupillae, continentur [s] omnium visarum stellarum species; ex quo, ut dicebatur, apparet ad quantam spiritualitatem deveniant [t] species rerum in medio genitae et quantum elongentur [u] ab originali naturalitate.

Quarto apparet idem ex hoc quod nulla [v] qualitas in suo subiecto exsistens et ibidem naturale esse retinens, potest immutare pupillam, cum oporteat, ut [f. 11 r b] dictum est, immutationem hanc fieri, facta in medio generatione propriae speciei, in quo quidem medio genita,

[a] B in continua geueratione activa. [b] B in generatione passiva sui esse continue. [c] B *sequit.* continuam successionem vicissitudinariam. [d] B substantificatum. [e] B medii. [f] B partem eandem. [g] B *om.* [h] F genita. [i] B habverum esse naturale. [k] B *om.* [l] B *add.* hac. [m] B *add.* esse. [n] B debilitas. [o] B *om.* [p] B inspicere. [q] F et. [r] B indicibiles. [s] F continetur. [t] F deveniat. [u] F elonget. [v] F ulla.

(1) Hoc non admittit Rog. Baco, l. c., 411 et 511; *Opus Maius*, V, *Perspectiva*, ed. Bridges, II 39 s.

quantum [a] alienetur a conditione quam habet in esse naturali, quod contrahit ex subiecti principiis, satis patet ex praedictis. Quidquid ergo est illud quod secundum suam [b] essentiam potest pupillam immutare, iam patet illud [c], ut sic exsistit, non habere esse naturale ([1]). Sed lumen, radius et splendor, ut sic exsistunt, per suam essentiam pupillam attingunt et immutant, ergo radius, lumen et splendor non habent esse naturale nec [d] fixum et [e] stabile, sed tantum esse intentionale et fluxile. Et sic patet circa esse istorum esse propriam conditionem, videlicet exsistentiam fluxilem et infirmam, non in naturali fundamento [f] fixam et quietam.

Tertio habent ista tria [g] continuam sui esse dependentiam quod sic patet. Duplex est effectus: quidam enim subiacet suae causae tantum quantum [h] ad fieri, non quantum autem ad conservari, ut aedificium a carpentario factum; et hic effectus non habet dependentiam suae essentiae [i] a propria causa.

Alius autem effectus est qui subiacet suae causae et quantum ad originale [k] fieri et quantum ad conservari, ut motus primi mobilis a continuata influentia sui motoris, et sanitas corporum [l] a conservatione et harmonia humorum, et esse cuiuslibet creaturae a manutenentia [m] primae causae ([2]). Et omnis talis effectus habet continuam dependentiam a sua causa et quantum ad suae naturae efficientiam et etiam [n] quantum ad suam essentiam. Cum ergo radius, lumen et splendor a luce habeant generari et etiam [o] conservari, nam illa se posita, ponit ista et se interempta, cointerimit ista, patet quod ista habent continuam [p] dependentiam a luce etiam quantum ad suam essentiam. Et sic patet eis inesse conditio tertia, scilicet [q] continua propriae essentiae dependentia. Patiuntur ergo circa suum esse praedicta [r] tria scilicet suae generationis vicissitudinem successivam [s], infirmam ac fluxilem exsistentiam et continuam sui esse dependentiam. Lux autem habet esse fixum, ratificatum [t] et stabilitum in natura, et sic habet esse quietum contra vicissitudinariam successionem quae est in aliis, et stabile contra eorumdem [u] fluxibilitatem, et independens ab eis contra eorum dependentiam essentialem.

---

[a] B *om.* [b] B sui. [c] B scilicet, *om.* illud. [d] B ut. [e] B nec. [f] B fundam. vero, *om.* nat. [g] F *add. mg.* id est splendor, lumen et radius. [h] B *om.* quantum *deinde sequitur* non autem quantum [i] B sui esse. [k] B ordinale. [l] B corporis. [m] B *om.* primae... dependentiam. [n] B *om.* [o] B *om.* [p] B continuam habent *deinde om.* etiam. [q] B *add.* quod. [r] B ista. [s] B *add.* et. [t] B ratum. [u] B *om.* fluxibilitatem... eorum.

([1]) Eadem argumentatio apud S. Thomam, l. c., q. 1, a. 3: « nulla qualitas habens esse naturale, immediate superposita organo visus, potest videri, lumen autem videtur contingens pupillam, unde videtur quod esse spirituale habeat ».

([2]) Cf. S. August., *De Genesi ad litt.*, IV, c. 12, n. 22, Migne, P. L., 34, 304; VIII, c. 19, n. 25, 390.

Quoniam igitur esse Salvatoris nostri, esse eius dico personale et hypostaticum quod habet eius suppositum — cum non sit in eo nisi tantum unum suppositum et illud sit aeternum [a] — est esse quietissimum et ab omni motu remotissimum, et sic non cadit circa ipsum successio nec vicissitudinis obumbratio ([1]). Est etiam stabilissimum, et sic non cadit circa ipsum fluxibilitas; et [b] absolutissimum, et sic non cadit in eo [c] ulla dependentia, imo potius ab ipso dependet quaelibet alia [d] natura creata, quemadmodum a luce dependet aliorum trium natura, scilicet radii, luminis et splendoris, ut ostensum est supra. Quantum, inquam, haec triplex ignobilitas invenitur in lumine, radio [e] et splendore, e contra autem in luce reperitur triplex sufficientia [f] istius triplicis ignobilitatis exclusiva. Ideo patet secunda ratio quare scilicet se dixit lucem et non lumen aut radium vel splendorem [g].

[CAPUT TERTIUM]

[Christus lux et centrum totius universi]

Tertia vero ratio huius [h] eiusdem potest esse haec [f. 11 v a]. Lux enim non in unam partem tantum, sed in omnem partem circa se positam radios suos emittit, sicut supra *primo capitulo* ([2]) diligentius est expositum, ita quod facit in illa diffusione orbem quemdam luminis, ita quod ex hoc generatur [i] ibi quidam circulus imaginabilis cuius centrum est corpus lucidum [k], lineae vero sunt radii a quolibet puncto sensibili [l] praedicti corporis lucidi in omnem partem geniti. Dico [m] autem « puncto sensibili » ad differentiam puncti mathematici, qui non est ibi nec in aliquo [n] alio corpore sensibili et naturali. Illorum vero radiorum limitatio circumferentiae tenet locum, et sic facit lux in sua diffusione sphaerica quemdam imaginabilem circulum.

Occasione autem huius nota quod tria sunt sensata [o] seu trium sensuum obiecta, quae movent species suas orbiculariter et sphaerice videlicet obiectum visus [p], ut iam de luce dictum est, obiectum [q] auditus et olfactus. Sonus enim a loco primi ictus diffundit se in omnem partem circumstantis aëris sphaerice, ita quod locus primi ictus, ut dictum est de luce, est [r] sicut centrum et processiones soni imagina-

---

[a] B *loco parent.* habet et id sit aeternum. [b] B *add.* est. [c] B illo. [d] B illarum. [e] B radio, lumine. [f] B rep. nobilitatis suff. [g] B *concludit*: quare Dominus dixit se lucem, non radium etc. [h] B *om.* [i] B luminis ex quo generatur. [k] B cuius corp. e. centr. luc. [l] B *add. erronee*: ad differentiam puncti. [m] B cogito. [n] B *om.* [o] B sensibilia. [p] B visus obiectum. [q] B et *pro* obiectum. [r] B *om.*

([1]) Cf. Iac. 1, 17.

([2]) Pag. 230 s.

biliter se generantis, ut dicitur in *Sex Principiis, capite de ubi* (1), in omnem partem [a] se diffundentes, sunt quasi lineae ab ipso centro in omnem partem ductae [b], eorumque limitatio est ipsorum circumferentia. Et totaliter per eundem modum intelligendum est de re odorabili [c], scilicet quod res odorabilis est quasi centrum, species autem odorabilitatis [d] eius in omnem partem orbiculariter [e] genitae sunt quasi quaedam lineae imaginabiles ab ipso deductae, limitatio vero processus illarum specierum est quasi circumferentialis clausura linearum.

Quoniam ergo Salvator noster erat ipsa *lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, cuius illustrationis radii erant diffundendi [f] per orbem universum, et venerat totum mundanum circulum facere luminosum, ideo recte se comparavit naturae lucis, in qua [g], ut dictum est, apparet consimilis diffusio luminis. Propter hoc etiam congruentissime postquam in mundum venire disposuerat, venit in eam regionem mundi quae est quasi pars centralis mundialis [h] circuli, scilicet in Iudaeam quae est in medio terrarum posita, sicut apparet in mundi mappa (2), et sicut ostendit *Ezechiel* [5, 5] dicens: *Haec est Ierusalem, in medio gentium posui eam.* Ita quod lux ista in mundani [i] circuli centro posita, ab ipso centro usque ad caeli circumferentiam totum repleret luce sua [k], nec remaneret gens vel populus aliquis expers suae illuminationis doctrina.

Quae quidem doctrina [l] ab ipsa Ierusalem, quasi a centro mundi incipiens, usque ad terrae limites, quasi usque ad circumferentiam mundani circuli derivata est. *Lucas ultimo*, [46-47]: *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia, et praedicari in nomine eius poenitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus a Ierosolima.* Et *Actus*, I, [8]: *Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea* [m] *et Samaria usque ad ultimum terrae.* Alia etiam fuit adventus

[a] B *om.* [b] (?), *deinde* eor. limitata clausura. [c] B ordinabili *etiam in sequentibus.* [d] B *concludit:* est [*om. aliquid*] quasi lineae in omnem partem ductae, quarum limitatio totam clausuram facit. [e] F orbicularice. [f] B dif. er. per totum orbem. [g] B in qua *add. mg.* [h] B meridiani. [i] B ista mundissima in circuli centro posita. [k] B sua luce [l] B *om.* q. q. d. [m] B Iud. etc.

(1) Gilberti Porretani, Migne, P. L., 188, 1264 s.; melior editio A. Heysse O. F. M., *Liber de Sex Principiis Gilberto Porretano ascriptus* (*Opuscula et textus*, Series Scholastica VII), Monasterii 1929, 22. Cf. S. Alb. Magnui, *De sex principiis*, ed. Vives, I, 346[a].

(2) Cf. *Monialium Ebsorfensium Mappamundi*, quae exeunte saec. XIII videtur picta. Hannoverae nunc adservatur eamque edidit Conradus Miller. In hac mappa Iudaea depingitur in medio omnium terrarum et in medio Iudaeae Christus resurgens ac radios lucis emanans apparet. Fac-simile huius mappae invenitur Londini, in Museo Britannico (King's Library).

huius lucis congruitas, videlicet quod [a] lux primo et principaliter radios suos emittit in partes circa se positas et secundario attingit ad partes remotas. Ita et Salvator noster primo et principaliter venit [fo. 11 v b] suae salutaris doctrinae radios communicare illis qui circa se positi quasi propinquiores erant, videlicet Iudaeis, demum secundario aliis, sicut apparet ex multis suis verbis [b] (1).

Iterum quia ipse erat illud audibile cuius in omnes partes sonus praedicationis et doctrinae [c] debebat exire, et illud odorabile cuius opinionis odor et famae [d] fragrantia in omnes mundani circuli partes erat respargenda, ideo voluit ad mediam et centralem mundi partem venire ut communiter in omnem mundi partem tanquam lucidum [e] radios emitteret, tamquam audibile magisterii sonitum intonaret, et tanquam odorabile suam fragrantiam respargeret [f], ita tamen, ut dictum est, quod prius communicaret Iudaeis [g], quasi magis iuxta eum in centrali mundi parte positis, deinde vero et secundario nationibus aliis.

Iterum [h] etiam lux ista ad similitudinem corporalis lucis non tantum in unam partem, ut dictum est, sed in omnem radios suos aliqualiter diffundebat, videlicet sursum, deorsum, ante et retro, destrorsum et sinistrorsum. Sursum vero, quia in terris manens et caelestia non relinquens (2), ibidem illuminabat Patres in limbo manentes: constat enim quod super eis erat gratia divina, et haec, ut dicunt (3), est gratuita et luminosa influentia Dei in anima, quod ab eo erat illuminatio praedicta. Illuminabat autem ante et retro, quia qui ante ierant scilicet Patriarchae et Prophetae et post eum Apostoli et viri apostolici ab eo illuminati fuerant. Dextrorsum vero et sinistrorsum illuminabat, id est, electos, et reprobos: hos tamen scilicet electos, illumi-

[a] B *add.* in Christo. [b] B sic. ex m. v. s. app. [c] B *om.* et doctr. [d] B *om.* [e] B *add.* doctrinae. [f] F respergeret. [g] B *concludit* Iudaeis quam aliis. [h] B *sic procedit*: Iter. lux illa... luc. corp. in omnem partem omnes rad. aliqual... sursum, quia in terris... Deors. quia illum. et P..., ut dictum, est grat... anima. Et ab eo... praed. Ante et r... ibant... Proph. et post eum, Apostoli et viri apostolici ab eo... omnium luminariorum cael. Et pat. ratio tert. scilicet quod comp. se luci propter sphaericam diffusionem et in omnem partem generationem, magis propinquorum quam remotorum illuminationem.

(1) Cf. Mt. 15, 24.

(2) Cf. S. Leonem Magnum, *Sermo* 22, al. 21, *De Nat. Domini*, 2, cap. 2, Migne, P. L. 54, 195.

(3) « Ponunt enim quod caritas... est quoddam lumen spirituale influxum in animam a Deo et hoc videtur Augustinum sentire VIII super *Genes. ad litt.*, qui dicit quod sicut aër ideo est lucidus, quia continue illuminatur, sic homo est iustus quia iustificatur... ». Ex quaest. disp. 41 ipsius Bartholomaei iuxta V, fol. 168 r b. Cf. *Prolegomena*, p. 210 et 214.

natione gratos faciente, illos vero, scilicet reprobos, alia luminis influentia, saltem gratis data. Continuatur enim lumen huius lucis cum lumine intellectualium omnium* secundariarum causarum, et sicut continuatur lumen solis cum lumine omnium aliorum luminariorum caelestium.

Et sic potest videri ratio tertia quare se comparavit luci et non radio vel lumini vel splendori, propter scilicet sphaericam et orbicularem suorum radiorum generationem et in omnem partem emissionem et priorum magis proximarum partium illuminationem.

(*Continuabitur*) P. Irenaeus Squadrani, O. F. M.

* mentium, sicut continuatur eius potentia cum potentiis omnium

MISCELLANEA

I. — Fr. Rogeri Marston et anonymi Doctoris O. F. M. quaestiones ineditae de B. Francisci stigmatibus.

Documenta minoris momenti de B. Francisco Assisiensi sedulo collegit et edidit R. P. Leonardus Lemmens O. F. M. (1). His testimoniis nova quaedam addere liceat ex operibus fr. Rogeri Marston O. F. M. deprompta hucusque inedita.

Ad normam Magistrorum Franciscalium qui saeculo XIII floruerunt, fr. Rog. Marston (2) († 1302) summe B. Franciscum veneratur. In *Quodlibeto* quarto (3), dum hanc quaestionem disputat: *Utrum unquam descenderit [Christus gloriosus] ad terram postquam ascendit ad caelum,* partem affirmativam solutionis sustinet et manifestationem Christi fieri ex triplice causa videlicet « ad confirmandum activos, ad consummandum contemplativos, ad transferendum amicos de praesenti miseria ad gloriam sempiternam ». Ad secundi asserti probationem haec unice affert: « Quod Christus apparuerit ad consummandum contemplativos, manifestum est ex sancto patre Francisco, cui in contemplationis apice constituto apparuit Christus veluti cruci affixus, in cuius gratioso aspectu tam mirabiliter quam familiariter apparentis excessivam quamdam concepit laetitiam et caro eius Crucifixo est conformiter insignita ».

Saeculo XIV incipiente, videlicet anno 1310, quidam magister ex Ordine Minorum de stigmatibus disputationem brevem instituit. Haec quaestio legitur in duobus codicibus, scilicet *Vat. lat.* 982, f° 85 v (4) et ms. Plut. 31, *dext.* cod. 3, f° 162 c, Bibl. Laurentianae Florentiae.

Cum rarissime in quodlibetalibus disputationibus de Stigmatibus actum fuerit medio aevo (5) non abs re erit questiones fr. Rog. Marston ac anonymi Doctoris edere ad B. Francisci laudem.

---

(1) *Testimonia minora saeculi XIII de S. Francisco Assisiensi collecta,* in *Collectanea philosophico-theologica,* III, Ad Claras Aquas 1926.

(2) De isto celebri lectore Oxoniensi tractat A. Little, *The Franciscan school at Oxford* in *AFH,* XIX, 1926, 855–57.

(3) Assisii, Bibl. Com., ms. 118, f. 142 v-143 v.

(4) Cf. A. Pelzer, *Codices Vaticani Latini,* Tomus II, pars prior, Città del Vaticano 1931, 447.

(5) In Bibl. Nat. Florentiae, ms. *Conv. Sopp.*, D. C. 359, saec. XIV inc., ultimis foliis non numeratis exhibet seriem quaestionum anonymarum inter quas una sic describitur: *Utrum corpus B. Francisci resurget cum stigmatibus,* sed in codice deest textus

6. Ad illud de Bernardo dicendum quod falsum ei imponitur, quia ipse nunquam illud voluit dicere asserendo. Praeterea, argumentum non valet, quia Deus praeviderat ab aeterno se facturum hominem et illum peccaturum et se reparaturum per incarnationem. Unde esto quod vidisset in speculo illud quod ultimo dictum est, Deum scilicet incarnandum sive creaturae uniendum, non (*Codex:* sicut) tamen sequitur quod hoc fuisset si homo non peccasset.

7. Similiter respondendum ad sequens de praedestinatione, quod praedestinavit quia praevidit casum hominis; (aliter) non praedestinasset.

Illi autem qui volunt dicere quod fuisset unitus creaturae, dicunt quod nihilominus debemus ei gratiarum actiones, quia tunc assumpsisset naturam passibilem et mortalem, sicut fecit post peccatum; et ideo nihilominus tenetur ad gratiarum actiones, sed non tamen ad tot. Et quia hoc nobis amabilius dicere, et non est auctoritas expressa adducta in contrarium, melius est dicere quod propter peccatum delendum et naturam reparandam et non aliter fuisset Deus homo factus.

P. Iohannes M. Bissen, O. F. M.

Tractatus De Luce Fr. Bartholomaei de Bononia (*)

(Continuatio)

[CAPUT QUARTUM]

[Christus lux consubstantialis et divina]

Quarta autem ratio, quare Salvator [a] se dixit lucem et non lumen aut radium [b] vel splendorem, haec est. Sciendum ergo quod [c] sicut dicit *Dionysius* in libro *De Divinis Nominibus*, capite [2] (1), *Causata suarum causarum congruas habent imagines* [d]. Imago autem, ut dicit *Philosophus* in *6 Topicorum* (2), est quod ad imitationem alterius factum est, et ideo [e] dicitur imago quasi « imitago ».

Cum ergo dicit *Dionysius* omnia causata [f] suarum causarum congruas habere imagines, idem est ac diceret quod omnia causata per imaginem vel similitudinem aliquam imitantur suas causas. Haec autem similitudo [g], quae scilicet invenitur inter causas et causata, diversificatur secundum diversitatem conditionum utrorumque [h]. Aliter enim assimilatur filius patri, et [i] aliter pictura pingenti, et [k] aliter species obiecto ipsam generanti, et sic de aliis. Et hanc diversitatem notat *Dionysius* cum non dicit simpliciter causata suarum causarum habere imaginem [l], sed dicit « congruas » imagines [m], id est conditioni causae et causatorum congruentes.

[F. 12ra] Omnis ergo generatio quae est in creaturis imitatur generationem primam, quae est in divinis, tanquam causam suam et tanquam supremum quid et [n] primum in genere vel [o] ordine genera-

---

[a] B *om.* [b] B rad. etc. [c] B *om.* Sc. e. q., *deinde* sicut Dion. De Div. Nom. dicit, F *vacuum loco citationis capitis.* [d] B habent causata... [e] B unde. [f] B caus. etc. id. est ac... [g] B simil. reperta inter... [h] B in utroque. [i] B *om.* [k] B *om.* [l] B haberi imagines. [m] B *om.* [n] B *om.* supr. q. e. [o] B et.

(*) In praecedenti articulo p. 238, lin. 3 omissa est pars propositionis; textus sic restituatur: « lumine intellectualium omnium mentium, sicut continuatur eius potentia cum potentis omnium secundariarum etc. ».

(1) N. 8, Migne, P. G. 3, 646. Auctor docet quomodo a Deo sit omnis paternitas et filiatio, et quomodo effectus sint causis suis similes, non vero causae effectibus. Dicit porro: « non enim est perfecta et absoluta similitudo eorum quae effecta sunt et causarum; quin potius habent quidem effecta causarum, quoad fieri potest, imagines ».

(2) Cap. 2, n. 6 (I, 236).

tionum, et hoc in quantum potest, sicut et posteriora in quolibet genere imitantur id quod ibi [a] est summum et primum diversimode (1).

Ad cuius diversificationis [b] evidentiam nota quod in divinis imago a Patre producta sub quadruplici conditione producitur [c]. Est enim imago imaginatum totaliter exprimens (2); est suppositum, cum sit ille qui est diversitatem habens [d]; est persona, cum in ea sit intellectualis natura eminens; et quarto, est totam naturam generantis [e] accipiens.

Quaedam ergo creaturae hanc generationem imitantur, quantum valent, quoad primum, generant enim [f] aliquo modo [g] imagines suas [h], sicut facit omnis creatura corporea et [i] visibilis, cum non sit visibilis nisi per imaginem eius in medio a se genitam et ad oculum delatam (3). Aliquae vero aliae [k] imitantur aliqualiter quoad primum et quoad secundum, sicut omnes istae a quibus per generationem univocam generantur alia, sicut cum homo generat hominem, leo leonem, pirus pirum per semen suum et sic de aliis. In his enim omnibus [l] generans et generatum habent idem nomen et secundum illud nomen [m], eandem substantiae [n] rationem. Omnia [o] autem talia sunt univoca, et ideo huiusmodi dicuntur generari univoca generatione. Dico autem talia imitari generationem primam aliqualiter quoad duo prima [p], quia leo a leone generatus est quodam modo naturalis quaedam [q] imago eius, cum ad illius imitationem virtute naturae sit effectus. Et sic imitatur quoad primum. Habet ulterius rationem suppositi, et in [r] hoc quodam modo imitatur quantum ad secundum.

Aliae vero aliquae [s] imitantur quantum valent quoad primum et secundum et tertium [t], sicut est in generatione hominis. Filius enim a patre generatus, ut ex praedictis patet, est quaedam naturalis imago eius, et sic aliqualiter imitatur quoad primum; est etiam suppositum, et sic imitatur quoad secundum; superaddit etiam his duobus rationem personae, et sic imitatur quoad tertium. Quoniam autem non est

[a] B *om.*, *deinde* est prim. licet diversimode. [b] B *om.* [c] B p. c. [d] B supp. divers. habens. [e] B g. n. [f] B *om.* [g] B *om.* [h] B s. im. [i] B *om.* corp. et, *deinde* non tamen vis... imag. eius a se gen. [k] B Quaedam v. imit., *deinde om.* aliqualiter, *post* secundum *sequit.* sicut creatura generata per generationem univocam, sicutleonem leo et capram capra et sic... [l] B in omnibus enim talibus [m] B *om.* [n] B *om.* [o] B *om.* omnia... generatione. [p] B primo. [q] B *om.* nat. q., *deinde om.* cum... primum. [r] B et hoc quan. ad sec. [s] B *om.*, *deinde* im. hanc generationem quoad pr. sec... [t] B *sequit.* unde in homine fil. gen. a patre est im. patris et est habens suppos. et cum hoc habet rationem pers. et est gener. cuius perfectior in natura non invenitur, ideo hic terminatur...

(1) Cf. S. Bonav., *Hexaem.*, col. 11, n. 13 ss., V, 282a ss.

(2) Cf. S. Bonav., l. c., col. 1, n. 13, V, 331b; col. 3, n. 4, 343b; col. 9, n. 2, 372b; col. 10, n. 12, 382a.

(3) Cf. supra, c. 2, 232.

aliqua generatio in creaturis perfectior ista, ideo hic terminatur gradus istarum imitationum, nec est possibile alicui creaturae imitari generationem primam [a] quoad quartum, ut, videlicet, totam substantiam generantis accipiat genitum (1).

Cum ergo, sicut patet ex dictis, omne corpus imitetur generationem primam saltem quoad primum, generando scilicet imaginem suam [b], sciendum quod imitatur illam in suae imaginis generatione [c] adhuc quantum ad alia tria.

Sicut enim Pater genuit semper, generat et generabit imaginem suam (2), et tamen semper est genita, ita omne corpus [d], ex quo est in natura sua completum, usque ad suae durationis terminum, semper genuit, generat et generabit hanc suam imaginem, non enim est accipere in tota hac sua duratione aliquod momentum, in quo si opponeretur ei speculum, non appareret [e] in eo huius imago. Quod non propter hoc est, quia speculum illi corpori obiectum imaginem illius quasi non prius ab eo genitam abstrahit, sed ideo quod corpus illud eam in aëre continuo generat (3), sed in aëre non apparet, quoniam propter nimiam [f. 12rb] ipsius aëris pervietatem non potest eam retinere et, versus oculum reverberatam, visibilem repraesentare, sed permittit eam tantum pertransire et aliquando transit per multa miliaria, sicut necessaria ratione probaretur, nisi nimia digressio timeretur. Specula vero eam recipiunt et, reverberato radio eam deferente versus oculum, ipsam repraesentant et visibilem reddunt. Et ideo ars sic ingeniata est, ut ex una parte faceret specula lucida et ex alia opaca et plumbo linita et obturata, ut per partem lucidam huiusmodi imagines recipiant, et per partem opacam et obturatam earum transitum prohibeant, et sic eas retineant et oculo repraesentent.

Patet ergo [f] ex his primum in quo imitatur generationem primam, in eo scilicet quod fuit, est et erit, quamdiu durabit, in continua generatione suae imaginis, sicut est etiam Pater in divinis [g].

Secundum autem, in quo [h] imitatur generationem primam, est quia Pater per imaginem quam generat agit quidquid agit, appropriate lo-

[a] B imit. creatorem, *deinde* quantum ad... [b] *om.* Cum... suam *deinde sequit.* item sciendum q. scilicet im... [c] F generationem. [d] B *add.* naturale, *sequit.* semper a tempore durationis suae usque ad terminum genuit... generabit imag. s. in aëre vel speculo licet in aëre propter nimiam aëris pervietatem retineri non possit, sicut nec in vitro speculari nisi poneretur a parte altera corpus opacum. [e] F non hic apparerent. [f] B igitur, *om.* ex h. [g] B sic. patet in div. [h] B secundo in quo.

(1) Cf. S. Bonav., l. c., col. 11, n. 11, V, 381b-382a.

(2) Cf. S. Bonav., l. c., 381b.

(3) Cf. supra, c. 2, p. 232.

quendo (1). *Hebraeos*, primo [2]: *Quem constituit heredem universorum*[a] *per quem fecit et saecula;* et[b] XI, [3]: *Fide intelligimus aptata esse saecula Verbo Dei.*

Et[c] similiter corpus per imaginem suam quam generat[d] agit quidquid agit. Ignis enim calefacit per imaginem suam generatam, imaginem, dico[e], delativam et luminis et caloris. Idem enim est quod a tali corpore exit et quod in quodlibet circumstans immittit. Idem enim immittit in sensum et in contrarium, sed per illud quod immittit per illud agit, ergo si idem immittit in sensum et in contrarium, per idem agit in sensum et in contrarium, sed in sensum agit per imaginem suam, ergo et in contrarium[f] similiter agit per eam. Nec[g] hoc etiam dubitamus sentire *peritissimos* in naturali physica (2).

Imitatur ergo quodlibet corpus, generando hanc speciem, generationem aeternam in hoc secundo, scilicet quod sicut Pater, appropriate loquendo, omnia quae agit dicitur operari per imaginem quam generat in divinis, ita et omne corpus per imaginem a se genitam agit quidquid agit in omnibus a se passis. De quo etiam multa essent dicenda, sed prohibet brevitas, quae tamen est multis auditoribus grata, quos intus[h] totaliter possidere videtur accidia.

Tertium[i] autem, in quo omne corpus generando imaginem suam imitatur generationem divinam, est quod sicut imago ibi genita generantis est totaliter expressiva, sic et[k] imago quam corpus generat, quanto expressius potest, ipsum repraesentat; unde et in *Perspectiva* (3) declaratur quod 22 intentiones de visibilibus a visu perpenduntur, quod esse non posset, nisi unaquaeque illarum in corpore viso vel circa

[a] B *om.* Q. c. h. u. [b] B *add.* eodem. [c] B *om* [d] B im. a se genitam [e] B dicendo (?). [f] B *add.* suum. [g] B. *om. usque ad* Tertium. [h] F *add.* eos (?). [i] B *sequit.* Tert. in q. imit. corp. generans imag. s.generat... [k] B *om.*

(1) Cf. S. Bonav., o. c., col. 3, n. 4, V, 343b-344a; *II Sent.*, d. 13, a. 3, q. 1, ad 2, II, 326a.

(2) Cf. Rog Baco, *Multiplicatio specierum*, II, 417: « ...et ex hoc evacuatur error eorum qui aestimant quod agens aliud immittit in sensum et aliud in contrarium, volentes quod fiat species in sensu, et non in contrarium, sed alia virtus ».

(3) Alhazen, II, n. 15, ed. Risner 34: « Lux, color, remotio, situs, corporeitas, figura, magnitudo, continuum, discretio et separatio, numerus, motus, quies, asperitas, levitas, diaphanitas, spissitudo, umbra, obscuritas, pulchritudo, turpitudo, consimilitudo et diversitas in omnibus intentionibus particularibus. Ista ergo sunt omnia quae comprehenduntur per sensum visus: et si aliqua intentio visibilis est praeter istas, collocabitur sub aliqua istarum ». Cf. Rog. Baco, *Perspectiva*, II, 4-7 et 74; Witelo, *Perspectiva*, III, 84, *Petitiones* et praesertim lib. IV; hoc opus habetur apud Risner, o. c., una cum operibus Alhazen.

corpus visum esset[a], et imaginem suam in medio faceret. Si enim opponatur oculo unum[b] corpus coloratum, et sit super illud lumen expansum, tunc ipsum lumen quodam modo expansum est super colorem, color autem[c] super figuram, figura super quantitatem, quantitas autem[d] super substantiam individuam (1), in substantia vero individua continetur quodam modo involuta natura speciei specialissimae, et haec continet intra se[e] naturam generis sibi immediate suppositi, hoc autem genus continet[f] superius, [f. 12 va] illud continet aliud cui subalternatur, et sic, usque ad generalissimum, semper superius in inferiori est involutum. Et tandem haec omnia in se[g] involvit et continet individuum speciei specialissimae, et ipsum involvitur[h], ut dictum est, quantitate, quantitas figura, figura colore, color autem lumine. Et haec omnia per unam imaginem et unum idolum, ab illo corpore in medio genitum, oculo repraesentantur, ita quod, si visum illud fuerit leo, per imaginem ab eo in medio genitam et ad oculum delatam repraesentatur ei imago luminis sub quo illud visum existit, imago coloris, figurae, quantitatis leoninae, speciei animalis, animati corporis, corporis et substantiae. Quod non esset possibile nisi imago illa esset horum omnium expressiva, nec posset imago coloris per se repraesentare imaginem figurae aut quantitatis, cum haec sit totaliter res alterius generis.

Oportet ergo quodlibet illorum in corpore viso existentium imaginem suam transmittere ad oculum. Est enim in imagine illa involuta imago unius in imagine alterius, et unum idolum involutum exemplariter ab alio, sicut realiter se involvunt naturae praedictae in corpore viso.

In imagine ergo in medio genita sub imagine lucis defertur involuta imago coloris, et hoc plane declaratur in *Perspectiva scientia* (2), sub imagine coloris imago figurae, sub hac vero imago quantitatis et sub ista, sicut ex omnibus superius inductis rationibus patet, continetur imago et idolum individui accidentibus istis subiecti. In huius autem individui idolo superioris speciei et omnium superiorum generum et naturarum idola sicut repraesentantur sic et involvuntur.

[a] B viso circa ipsum esset. [b] B. *om.*, *deinde* col. c. et sup. il. sit l. ex. [c] B *om.* [d] B *om.* [e] B i. s. c. [f] B *add.* aliud genus sibi, *deinde om.* illud... subaltern. [g] B *om.* i. s. [h] B *sequit. usque ad* « Secundum » in quantitate, et haec in figura facta, et haec in colore, et hic in lumine, et haec omnia per unam imaginem et unum idolum ab ipso corpore genitum in medio oculo repraesentantur. Hoc autem non esset possibile nisi imago illa esset horum expressiva. Sicut ergo in divinis imago est generantis totaliter expressiva, sic in corpore in quantum semper imago unius involvitur in imagine alterius.

(1) Cf. Rog. Baco, o. c., 76.

(2) Alhazen, I, n. 39, 22 s.; II, n. 17-21, 35 ss.; III, n. 3, 103.

Ex his autem duo eliciuntur: unum est illud tertium in quo generatio istius imaginis imitatur generationem primae Imaginis, quod scilicet sicut illa est generantis totaliter expressiva ita etiam, suo modo, ista.

Ut ergo sit ad unum dicere, imitatur generatio huius imaginis generationem primae imaginis in tribus, videlicet quia sicut in divinis Pater imaginem suam semper genuit, generat et generabit, quamvis sit semper genita, ita et corpus, ex quo esse coepit quousque durabit, hanc suam imaginem, ut probatum est supra, semper genuit, generat et generabit. Secundo, in hoc quod sicut in divinis per illam imaginem a Patre genitam, appropriate loquendo, ipsum generans facit quidquid facit, ita et corpus per hanc imaginem a se genitam, ut patet ex supra dictis, facit quidquid facit. Tertio, in hoc quod sicut in divinis illa imago est generantis se totaliter expressiva et repraesentativa, ita, suo modo, et imago a corpore visibili genita, ut patet ex dictis, est ipsius totaliter expressiva et repraesentativa.

[a] Secundum autem, quod elicitur ex praedicta idolorum et imaginum involutione, est principale propositum et illud cuius declarationis gratia facta est tota haec digressio a *tertio capitulo,* circa scilicet subiectum luminis quod in medio existit, et similiter intelligatur de splendore et radio. Ostensum enim est [b] quod quidquid [f. 12 vb] existit [c] a corpore lucido et quolibet [d] alio generatum in medio, fundatur et substentatur radicaliter in substantiae [e] idolo sub idolis accidentium involutive delato. Quoniam [f] igitur huius substantiae idolum habet esse debilissimum et infirmissimum respectu substantiae a qua est genitum [g], et per consequens omne illud [h] quod fundatur super ipsum, ideo patet quanta sit infirma debilitas et debilis infirmitas esse luminis quod in medio generatur et super isto idolo radicatur [i], et idem est de radio et splendore [k]. Lux autem cum sit qualitas [l] in corpore lucido fundata, habet esse incomparabiliter firmius et stabilius ([1]).

Quoniam ergo esse [m] Salvatoris nostri, secundum quod propriissime convenit ei se lucem dicere, quod scilicet est esse divinum, est esse ab omni infirmitate ac debilitate remotissimum et omnis firmitatis et stabilitatis fons et principium, ideo ex praedictis patet quare incomparabiliter proprius et convenientius se comparavit luci, quam se compararet lumini aut radio vel splendori.

---

[a] B *sequit.* ex dictis patet quid sit subiectum luminis quod in medio... [b] B e. en. [c] B exit. [d] B consimili. [e] B subiecto. [f] B *sequit.* illud idol. esse deb. hab. et per cons. [g] B *om.* et inf.... gen. [h] B *om.* [i] B *om.* ideo patet... radicatur. [k] B idem autem de lumine rad... [l] B *sequit.* corporis luminosi hab. esse magis firmum et stabile quam lumen, radium etc. *Cetera om. usque ad* « Potest ergo » *sequentis capitis.* [m] F est (?)

([1]) Cf. supra, c. 2, p. 234 s.

[CAPUT QUINTUM]

[Confirmantur dicta capitis praecedentis]

Quinta autem via, qua adhuc debilitas et infirmitas ac per hoc ignobilitas istorum trium, scilicet luminis, radii et splendoris, potest declarari, sumitur ex consideratione [a] subiecti in quo ista fundantur [b], de quo quidem subiecto licet aliqua in *proximo praecedenti capitulo* sint dicta, adhuc tamen in hoc *praesenti capitulo,* ad maiorem declarationem, addantur aliqua alia, quae non tantum per viam narrationis, qualis fuit haec praemissa, sed potius per viam ratiocinationis videantur confirmata.

Quoniam ergo quid sit illud, in quo quasi in subiecto fundantur ista in medio existentia, non minimam etiam apud sapientes habet dubitationem ([1]), ideo hic fiet quaedam digressio, ut secundum ratiocinationem investigetur et per rationes aliquales confirmetur, et tandem, postquam sic fuerit inventum, ipsius inventio applicabitur ad principale propositum ([2]). Huiusmodi igitur declaratione et rationum inductione nihil in praeiudicium alterius sententiae dictum intelligatur, quoniam omnia maiorum subiectioni, ubi oportuerit, corrigenda traduntur [c].

Potest ergo dici forsitan quod illud in quo fundatur lumen existens in medio — et idem intelligatur de splendore et radio — est, ut dicitur in *proximo praecedenti capitulo,* similitudo et idolum quoddam intentionale quod similiter generatur in medio ab ipso vero et naturali subiecto in quo est ipsa lux vera, sicut a luce existente in eo generatur similitudo sua in medio, quae scilicet similitudo est ipsum lumen; ut sicut vera lux existit in vero subiecto, ita idolum lucis, quod est idem quod lumen, existat in idolo subiecti, quod scilicet ab ipso subiecto generatur in medio. Ad cuius confirmationem quattuor rationes occurrunt ad praesens.

---

[a] F sideratione. [b] F fundatur. [c] B *Quin viam quintam a quarta distingual, sequit.* Cum autem lumen sit idolum corporis luminosi sicut in subiecto, ita scilicet quod sicut lux est in vero subiecto, sic idolum lucis quod est lumen est in idolo subiecti et sic de quolibet alio generante idolum in medio potest persuaderi ad praensens sic.

([1]) Quaestionem hanc explicite agitatam apud nullum inveni, quamvis intime connectatur cum aliis quaestionibus de informatione lucis, de eius irradiatione etc., uti facile est videre apud perspectivistas.

([2]) Quod tamen non fit in sequentibus.

[a] Prima est haec: constat quod quae sunt principia essendi sunt principia agendi, actio enim non est formae tantum, licet ipsa sit actionum principium, sed est totius suppositi ex materia et forma compositi, sicut etiam passio non est tantum materiae, licet ipsa sit passionum principium, sed est etiam formae, cum destruatur etiam ipsa forma a contrarii actione illata. Unde dicit etiam *Philosophus* in *primo De Anima*, capite illo: *probabilius autem dubitabit aliquis* (1) etc. quod addiscere, intelligere et huiusmodi non sunt animae, unde dicit et probat [f. 13 ra] quod sunt hominis, et ita sunt totius suppositi et non partis. Cum igitur subiecta materia cum forma sit causa et principium essendi omnibus accidentibus, ut habetur ex fine *primi Physicorum* (2), erunt etiam ipsis accidentibus principium agendi, ut illud a quo est et super quod fundatur accidentium essentia, ab illo etiam sit eorum virtus activa. Si ergo ipsa accidentia agentia in virtute subiecti, sicut instrumentum agit in virtute carpentarii, generant similitudines suas in medio, et *propter quod unumquodque et illud magis* (3), patet quod ipsum etiam subiectum generat in medio proprium idolum.

Secunda [b] est haec: certum est quod mensura existendi est mensura agendi, hoc scilicet modo ut quanto aliquid plus vel minus participat de entitate sive actualitate, tanto plus vel minus participat de activa virtute. Unde illud quod habet entitatem sive actualitatem infinitam, habet etiam activam virtutem infinitam, ut Deus. Illud autem quod omnino caret entitatis actualitate, omnino caret activa virtute, ut pura materia. Mediorum autem quae sunt inter materiam et Deum, eatenus unumquodque participat plus vel minus de activa virtute, quatenus participat plus vel minus de entitate et actualitate. Cum ergo omnis substantia quasi improportionabiliter plus habeat de entitate et actualitate quam habeant accidentia, propter quod etiam proprius dicitur ens de substantia quam de accidentibus, quorum inquam accidentium tam debilis est existentia, ut fulcimentum sibi non inveniant in se ipsis; cum inquam huiusmodi accidentia per illud modicum et entitatis et activae virtutis quam habent similitudines suas in medio generent, ultro fortius substantia, quae quasi in infinitum plus habet de virtute activa, generat in medio idolum suum (1).

Tertia [a] est haec: Virtus principiorum salvatur in natura principiatorum, ita quod principiatorum efficacia firmatur super priorum principiorum influentia. Verbi gratia: si consideremus haec, scilicet causam primam, naturam et artem, inveniemus tertium principiari a secundo, et tertium et secundum a primo, et virtutem tertii, scilicet artis, firmari super virtutem secundi, scilicet naturae, et virtutem secundi totam firmari super virtutem primi, scilicet Dei. Rerum enim naturalium tam virtus quam essentia a Deo est producta et super manutenentiam eius firmata (2).

Virtus vero artis firmatur super virtutem rei naturalis, efficacia enim artis medicinae emanat ex virtute naturae; est enim omnis virtus medicinarum ex virtute herbarum vel aliarum rerum a natura genitarum. Habent igitur ista se ex praesuppositione, quia scilicet virtus tertii praesupponit virtutem secundi, et virtus secundi virtutem primi.

Cum ergo substantiae sint accidentium principia, necesse est virtutem et effectum accidentium fundari super virtutem et effectum substantiarum, ut sicut essentia accidentis fundata est in essentia substantiae, sic virtus [b] activa accidentis super virtutem activam substantiae, et idolum accidentis in medio productum super idolum substantiae in medio genitum fundetur (3).

---

[a] B *sequit.* Constat quod eadem sunt princ. essendi et ag., actio en. non est tant. formae nec passio materiae, sed composito competit agere ratione tamen formae, pati vero ratione materiae. Unde Phil., 2 De Anima... etc. dicit... animae, sed totius suppos. Cum igitur materia... causa omnium accidentium in essendo, erunt etiam... causa et princ.... sit virtus act. eorum. Si accidentia ag.... instrum. in virtute... medio proprium idolom (?) Secunda... [b] B *sequit.* ratio ad idem. Quanto aliquid plus partic. de ent. seu act., tanto plus partic.... virtute. Cum ergo omnis substantia plus habeat de entitate quam accidentia, propter quod etiam proprius dicitur ens de eis (sic) quam de accidentibus, patet quod plus habent de activa virtute. Sed accidentia per illud modicum entitatis... gen. sui similitudines in medio, multo fortius substantia.

(1) C. 4 (III, 439) et 5 (III, 443); cf. Rog. Baco, *Multipl. Spec.*, II, 423; S. Thomas, *Summa Theol.*, I, q. 75, a. 2, in corp. et ad 2; *De veritate*, II, 6, ad 3.

(2) Cap. 9 (II, 259 s.); cf. S. Bonav., *II Sent.*, d. 13, a. 3, q. 2, obi. 2, II, 327ᵃ cum nota 6.

(3) Aristoteles, *Poster.*, I, c. 2 (I, 123).

[a] B *sequit.* ratio ad idem. Virtus... principiat., hoc patet in causa prima, natura et arte. Naturalium enim rerum essentia (?) virtus a Deo producta est et in illo firmata est. Virtus vero artis... virtutem naturae, effic. en. virtutis med. manat. . naturae. *Om.* est enim... virtutem primi. [b] B *sequit.* sic virtus in virtute et idolum accidentis in medio productum super idolum subst. in med. gen. fundatur.

(1) Cf. Rog. Baco, *Multipl. spec.*, II, 419 et 431.

(2) Cf. supra, c. 2, 234.

(3) Hic omittitur 4ª ratio supra enuntiata, pag. 343.

[Pars Secunda]

[Quomodo a luce divina radii spirituales et intellectuales splendores emanant] (1)

Habito ergo quare dicatur lux, videatur [a] qualiter ab [b] hac luce radii spirituales et intellectuales splendores [c] emanant [d]. Ut ergo de multis dicantur pauca, sciendum quod ab hac luce super omnem intellectum creatum descendunt irra[f. 13 rb]diationes septemplici via, [e] ad quarum explicationem notandi sunt VII modi participandi lucem corporalem, ut, ascendentes per materialium rerum gradus, facilius capiamus qualiter a luce illa fluant illuminationes super nos et angelicos intellectus.

[CAPUT PRIMUM]

[Primi quattuor modi]

Ad investigationem ergo [f] priorum quattuor modorum est notandum quod in genere rerum spiritualiter lucentium et illuminantium sunt quattuor gradus in quorum supremo est haec lux constituta, ceteris inferioribus abundantius illuminans. Qui inquam gradus ut melius a nobis comprehendantur, primo ponamus exemplum aliquorum quattuor graduum rerum sensibiliter lucentium et illuminantium, quia, sicut dicit beatus *Dionysius* in libro *De Angelica Ierarchia,* c. 1 (2), non est possibile nostrum intellectum ad immaterialem rerum ascendere contemplationem, nisi prius ea quae secundum ipsum est materiali manuductione utatur.

---

[a] B videamus. [b] B de. [c] B *om.* [d] F emanent. B *sequit.* circa hoc sciendum qudo a l... [e] B *om.* ad quarum... intellectus. [f] B igitur, *om.* priorum, *deinde* not. e. existere 4 gradus esse rerum sensibilium illuminantium et lucentium, ut ex sensibili ad intelligibilia ascendamus; quia, sicut dicit Dion. De Ang. Ier.... nostram mentem... sec. ipsam... utatur.

---

(1) Cf. supra, c. 1, 231. Haec secunda pars reproducitur fere ad litteram in sermone *De nativitate Domini,* quem praebeo in appendice, et in *Libro de virtutibus et vitiis* Servasanctii, qui conservatur in ms. *Conv. sopp.*, E, 6, 1046 [f. 6 vb-8 ra] Bibl. Nationalis Florentiae [= F²].

(2) N. 3, Migne, P. G. 3, 122; cf. S. Bonav., *De Plantatione Paradisi,* 1, V, 574b-575a.

Sunt ergo [a] quaedam quae lucent, sed non illuminant: lucent enim quia habent aliquid luminis sibi complantatum, sed tam debile, ut non sufficiant illud aliis communicare, et huiusmodi est vitrum, quod etsi in se luceat, positum tamen in tenebrís, alia non illuminat.

Sunt enim [b] quaedam in secundo gradu, quae lucent in se et illuminant alia circa se posita, ut aliqui lapides pretiosi, qui in tenebris positi, et se et alia faciunt videri (1).

Sunt [c] et alia in tertio gradu, quae lucent et illuminant alia, et ita efficaciter illuminant ea, ut illa sufficiant etiam illuminare, tertio loco, alia. Quod patet de igne posito in alabastro: nam ibi primo in se lucet, secundo alabastrum illuminat, et ita efficaciter, ut ipsum etiam alabastrum, tertio loco [d], illuminet alia extra se posita [e].

In quarto autem gradu est quiddam quod lucet, illuminat, illuminata illuminare facit, et ultra haec omnia est principium luminis, aliis tribuens et ab aliis non recipiens, et huiusmodi est sol. Sol enim, primo, in se lucet et, secundo, alia illuminat, quoniam omnes planetae et stellae recipiunt lumen a sole, ut dicit *Philosophus* in *primo Meteorum* (2), et ita potenter alia illuminat, ut illa ab eo illuminata possint illuminare alia, quod patet maxime in luna. Nam sol existens in emisperio (sic) inferiori, ibi in se lucet et lunam in superiori existentem illuminat, et ita efficaciter, quod ipsa illuminat alia, lumen in refundendo terris. Et super haec ipse sol est principium lucis, aliis, ut dictum est, tribuens et a nullo recipiens.

Ad huius similitudinem sunt quidam qui [f] in se lucent, quia scilicet habent veram fidem sine erroris tenebra et conscientiam conspi-

---

[a] B igitur, *deinde* quaed. q. l. quia contemplatum (sic) sibi lumen habent, sed tam deb. quod illum. alia non possunt in tenebris existentia. Puta vitrum quod in tenebris positum non lucet. [b] B *om.* S. e., *deinde sequit.* Quaed. autem lucent in se... circa se, ut carbunculus, qui... positus... alia videri facit iuxta se. [c] B *sequit.* tertio quaed... et al. illum. et illuminata luce et illuminare faciunt. Ut patet... alabastro: primo luc. in se... [d] B *om.* t.l. [e] B *om deinde sequit.* Sunt quaedam quae luc., illum. et illuminata illuminare faciunt, et cum hoc sunt princ. luminis omnibus aliis, et tale est sol qui lucet in se, stellas illuminat et planetas, et illas illuminare facit, secundum Philosophum, 1 Meth. et cum hoc est princ. luminis non recipiens lumen suum aliunde. [f] B quaedam quae, *deinde, om.* in se, *sequit.* l. per habitum fidei sine... et per... mundam sine... verumt. ita ten. intell. illud q. cred. per doctr. alios tamen illuminare non possunt (?).

---

(1) V. gr. carbunculus, uti habet B. Cf. S. Albertum Magnum, *De mineralibus,* II, tract. 2, c. 3, V, 32b.

(2) In I *Meteorologicorum* hoc frequenter innuitur et supponitur, quin tamen explicite asseratur. Cf. Pseudo-Arist., *De proprietatibus elementorum,* c. 1 (ed. Juntas, VII, fol. 112 v); Gauthier de Bruges, O. F. M., *Quaestiones disputatae,* q. 20, ad 13 (*Les Philos. Belges,* X, 166 s.).

cuam sine culpae macula, verumtamen illud quod credunt tenuiter intelligunt, quod per doctrinam inde alios illuminare non sufficiunt. Isti ergo sunt in primo gradu, quia scilicet lucent in se fidei et conscientiae puritate, sed non illuminant alios doctrinae seu praedicationis veritate.

Alii sunt in secundo gradu [a], qui scilicet [b] praedicto modo in se [c] lucent et etiam [d] conversationis exemplo vel doctrinae verbo de his quae credunt alios instruunt.

Alii [e] sunt in tertio gradu, qui in se quidem lucent, ut dictum est de aliis, et illuminant, doctrinam in alios [f. 13 va] transfundendo, et ita lumine doctrinae alios imbuunt, quod illi postea illuminare sufficiunt, ut doctores qui faciunt alios doctores vel praedicatores, et ita a se illuminatos faciunt aliorum illuminatores (1).

[f] In quarto autem gradu, ultimo et supremo est Salvator noster, qui hic se dicit lucem. Hic enim in se lucet, cum sit lux purissima, ita *Io. 1ª* [1, 5]: *Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae.* Hic etiam illuminat, *1 Io.* [9]: *Illuminat omnem hominem* etc., et a se illuminatos facit iterum illuminare alios: exemplum de *Paulo* quem illuminaverat et qui alios illuminabat; ad *Ephesios*, 3, [8-9]: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec evangelizare in gentibus investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo qui omnia creavit.* Et super haec omnia ipse est principium omnis illuminationis [g] aliis tribuens et ab aliis non recipiens (2). Licet enim conveniat ei cum Patre et Spiritu Sancto huiusmodi illuminationes infundere, pro eo quod horum trium suppositorum una est numero forma, et quorumcumque forma est taliter una, eorundem etiam unica est operatio et indivisa; tamen quia Filio appropriatur sapientia, ideo, appropriate loquendo, ipse est fontale principium huiusmodi illuminationum (3).

---

[a] B *om.* i. s. g. [b] B *om.* [c] B *om.* i. s. [d] B in. [e] B *sequit.* in se quid. luc. et alios per doctrinam et vitae exempla illuminant, et ita doctrina eos imbuunt, ut ipsos doctores efficiant aliorum illuminatores. [f] B *sequit.* Salvator autem noster in quarto gr. est, qui se dicit luc. Io. 1, ... in eo etc., et illuminat, Io. 1: ... et illuminatos a se lumin. facit. Exempl. d. P. ad Eph. 3, ... min. sanct.... in gent. evang.... omnes etc. [g] B *concl.* intellectualis, quae licet fiat a tota Trinitate, appropriatur tamen Filio. Et sic patent primi 4 modi illuminationis intellectualis.

---

(1) Cf. S. Thomam, *Summa Theol.*, 2ª-2ªᵉ, q. 188, a. 6: « Sicut maius est illuminare quam lucere solum, ita maius est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari ».

(2) Cf. S. August., *Soliloq.*, l. 1, c. 8, n. 15, Migne, P. L. 32, 877.

(3) Cf. supra, c. 1, l. c., 231.

Et sic patent primi quattuor modi quibus ab hac luce procedunt spirituales irradiationes et rationalium mentium intellectuales splendores.

[CAPUT SECUNDUM]

[Alii tres modi illuminationis]

Ad evidentiam [a] autem aliorum trium modorum quibus descendunt mentales illuminationes ab hac prima luce, notandum est pro unoquoque illorum [b] modorum materiale exemplum [c] de emanatione materialium luminum.

Sciendum ergo quod sicut in *IV Perspectivae* (1) ostenditur, emanatio materialis lucis tripliciter [d] super illuminabilia recipit augmentum, videlicet: per illuminabilis ad lucem approximationem; per radiorum emanantium aggerationem et [e] per rectitudinalem processionem. Radius enim [f] lucis corporalis quanto proximior [g] recipitur, tanto abundantius habetur; propter distare enim a principio res debilitantur et tandem corrumpuntur. Similiter etiam cum ab unoquoque puncto sensibili quod est in corpore lucido procedant radii per modum linearum imaginabilium [h], sciendum est quod quanto huiusmodi radii vehementius invicem amplectuntur et constringuntur super aliquod illuminabile, tanto ipsum plenius ab eis illustratur. Ratio [i] cuius est quia omnis virtus plus unita plus est infinita (2). Similiter quantum ad tertium sciendum quod radius procedens a corpore aliquo [k] lucido, si obviat alicui corpori solido, ut parieti vel alteri, cum pervenit ad illud, propter illius solidatem et sui debilitatem frangitur. Sunt ergo ibi duae partes [l] illius [m] radii, una quarum [n] in obiectum corpus recte tendit, alia vero ibidem fracta in obliquum tendit, et efficacior est emanatio lucis in parte recta quam in fracta, quando scilicet primo recipitur in uno et postmodum ab illo reflectitur ad aliud (3).

[o] Sciendum ergo quod totaliter per eundem modum intelligenda est influentia divinorum radiorum descendentium super oculum men-

---

[a] B *sequit.* tamen mod. sequentium notand... [b] B istorum. [c] B e. m. [d] B trinum. [e] B *om.* [f] F autem. [g] B a proximiori. [h] B radii... imag. procedant. [i] B *sequit.* ratione unionis radiorum. Simil... [k] B ab al. corp. [l] B puta parieti reflectitur ab illo propter sensuum debilitatem (?). Sunt... [m] B *sequit.* radii scilicet recte incidens et reflexus in obliquum. Vehementior autem est emanatio lucis incidentis quam reflexae. [n] F unum quorum. [o] B *sequit.* per mod. consimilem intellig...

---

(1) Alhazen, nn. 4-5, 103 s. et praesertim n. 15, 111 s.

(2) *Liber de causis*, 16, ed. Bardenhewer, Freiburg i. B. 1882, 179. Propositio desumpta est ex Proclo, *Instit. theol.*, 95.

(3) Cf. Rog. Baco, *Perspectiva*, II, 162.

tium humanarum, videlicet quod [a] quanto aliquis per fortius caritatis vinculum [b] ipsae primae luci, [f. 13 vb] Deo scilicet proximior efficitur, tanto postmodum per radium divinae illustrationis, qui super eum in hac proximitate existentem emittitur, fortius et plenius illustratur. Similiter quanto huiusmodi radiorum a [c] luce prima super intellectum descendentium vehementior fit aggeratio, eo quod ab ipso qui eos recepit frequentior fit per usitatiorem contemplationem suae mentis ad divinos radios exercitatio, tanto, inquam, lucidior super mentem eius fit illuminatio.

Similiter, quantum ad tertium modum [d], radius divinae illustrationis, qui a Deo recte [e] super contemplantis mentem procedit, virtuosius illuminat mentem eius [f] qua[m] si forte prius divinae illuminationis [g] radius procedat [h] recte super intellectum angelicum et postmodum [i], quasi fractus, reflectatur indirecte [k] super intellectum [l] humanum, et hoc intellige ceteris paribus. [m] Inde forte est [ratio] qua tam *Scripturae* textus (1), quam etiam *Sacri expositores* dicunt quod *post Moysen,* qui immediate illuminationes multas a Deo recepit, *similis propheta non surrexit,* qui scilicet similis esset illuminationis.

Quoniam alii mediatius receperunt, ut videtur *Scriptura* dicere cum dicitur in *Daniele,* quia [n] scilicet cum ipse *Daniel* non posset visionem sibi ostensam intelligere, dictum est uni Angelo: *Gabriel fac istum intelligere visionem* (2). In quo forte potest dici eo *Daniel* minus illuminatus fuisse, quo indirectius ostenditur super mentem eius divinae revelationis radius descendisse (3).

[o] Descensus ergo divinarum illuminationum super humanae mentis oculum recipit tripliciter fortificationem, scilicet per recipientis ad ipsam prima[m] lucem approximationem, per huiusmodi irradiationum super recipientem intellectum aggerationem ac multiplicationem, et, tertio, per immediatam ac directam eorundem susceptionem.

---

[a] B hum. quia quanto. [b] B vinc. c. *deinde* Deo approximatur, tanto fortius divinae illustrationis radio illuminatur. Simil... [c] B. *sequit.* pr. l. descend. in mente fit agger. per frequentem visitationem et contemplat. tanto lucidior efficitur mens humana. [d] B *om.* q. a. t. m. [e] B *om.* q. a D. r., *deinde* sup. m. cont. immediate a prima luce descendens, virtuosius .. [f] B *om.* [g] B *om.* d. i. [h] p. rad., *om.* recte. [i] B post. [k] B *om.* r. i. [l] B *om.* [m] B *sequit.* Et inde f. e. ut post M. q. illum. divinas immediate a Deo rec., ut Scriptura inquit, similis... surrexit. *om.* qui scilicet... descendisse. [n] F qui. [o] B *concl.* Sic ergo patet qualiter descensus divin. illumin. supra humanum intellectum tripliciter rec. fortific.

---

(1) Deuter. 34, 10.

(2) Dan. 8, 16.

(3) De illuminatione angelica prout est media inter animam et Deum cf. Rag. Marston, O. F. M., *Quaestiones Disputatae* [*De Anima*], q. 4 (*Biblioteca Franciscana Scholastica Medii Aevi,* VII), ad Claras Aquas 1933, 274 ss.

[Pars Tertia] (1)

[Conditiones quae mentem disponunt ad divinam illuminationem]

Viso aliqualiter quibus de causis quibusque rationibus congruentissime Salvator noster se dixerit lucem esse, nec non aliquali sermone habito de gradibus et modis quibus rationales mentes fiant in actu participationis luminis ab aeterna luce super ipsas refulgentis, ordinis consequentia exigit ut investigetur qualiter et per quae mens humana ad recipiendam huiusmodi lucis refulgentem influentiam disponatur. Cum enim actus activorum non imprimantur nisi in patiente debitam dispositionem habentem (2), radius ab hac aeterna luce emissus in cuiusquam intellectum non imprimet suam claritatem nisi prius habuerit tempore vel natura requisitam perspicuitatem.

Ut igitur aeternae lucis illuminatio possit introduci, necesse est dici per quae habeat intellectus noster debita perspicuitate praedisponi. Haec autem, per quae scilicet habet intellectus disponi, summatim Salvator innuit in verbo quod addidit postquam dixit: *Ego sum lux mundi;* statim enim innuens quae sint per quae intellectus noster sic habeat disponi [a], quod lumen vitae emissum ab illa luce sibi possit imprimi, subiunxit: *qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae;* quasi diceret quicumque a me, qui sum lux mundi, vult illuminari, studeat me sequi. Per quodcumque ergo ipsum imitamur [b], [f. 14 ra] per hoc etiam ad illuminationem ab eo recipiendam praepa-

---

[a] *Ms.* dispositionis. [b] *Lectio incerta:* uĩtam̃.

---

(1) Hanc partem omittit B, licet primum caput eiusdem inveniatur in *Libro de virtutibus et vitiis* ita cum praecedentibus connexum, ut clare pateat unitas compositionis. En *introductio* ad hanc partem prout invenitur in F², fol. 7 rb: « Sic oritur quaestio ex praemissis, si sit talis irradiatio super oculum mentis humanae nihil ad hoc ex parte caeli disponente. Constat enim quod actus activorum, scilicet universorum agentium non fiunt nisi in patiente disposito; necesse est enim tam ex parte naturae quam artis, sicut exemplis probatur, ut prius disponatur materia quam forma inducatur in ea. Quare radius ab aeterna luce emissus [in] intellectum humanum suam claritatem non imprimet nisi ante dispositum. Quia nisi aër perspicuitatem haberet, solare radium in se recipere non valeret, sicut nec terra ita in se recipere potest. Ut igitur irradiatio lucis aeternae in animam possit admitti necesse est eam aliquo habitu ante disponi. Fit autem dispositio ista per habitum fidei animam illustrantem... ».

(2) Arist., *De Anima,* II, c. 2 (III, 446).

ramur [a]. Sequimur [b] autem eum et ambulamus post ipsum gradiendo per vias quae nos recte deducunt ad eum. Viae autem hae sunt virtutes omnes, tam scilicet cardinales quam theologicae, quoniam omnes habent ipsum pro suo fine. Ipsae ergo sunt per quarum vias ambulando recte dicimur [c] ipsum sequi, ergo et ipsae habent nos ita congrue disponere, ut in tenebris non ambulantes, sed per viam virtutum ipsum sequentes, possimus ab eo recipere ipsum lumen vitae.

[CAPUT PRIMUM]

[Fides disponit ad divinam illuminationem]

Incipientes ergo ab ipsa fide, quae est omnium virtutum quasi initiale fundamentum, videamus qualiter ipsa sic habeat intellectum nostrum disponere, ut per hanc dispositionem possit recipere refulgentiam super se irradiatam ab aeterna luce (1).

Sciendum ergo quod hoc habet 4 modis efficere, ad quorum explanationem notandum quoad praesens quod habitus fidei, quae in intellectu existit, quattuor ibi efficit. Nam girovagiam errorum excludendo, captivatum intellectum in immobili veritate confirmat; imaginem rationalis animae reformando, imagini Trinitatis assimilat; revelandae veritatis claritatem viatoribus aenigmatice demonstrando [d], ad supernaturalium et altissimorum veritatum apprehensionem intellectum sublimat; quarto [e] et ultimo (2), refraenat intellectum ne per temerarium scrutinium plus quam oportet sapiat, et ne sibi praefixos [f] articulorum terminos, in montem ascendendo praesumptuose transeat.

[*Prima ratio*] (3)

Ipsa ergo, primo, disponit intellectum ipsum stabiliendo. Ad cuius ergo evidentiam, qualiter scilicet ipsa fides mentem [g] stabiliendo, disponat eam ad irradiationem [h] aeterni luminis suscipiendam, notandum

[a] *Ms.* praeparantur. [b] *Ms.* sequitur. [c] *Ms.* dicuntur (?). [d] *Ms.* demonstrat. [e] *Ms.* quinto. [f] *Ms.* praefixas. [g] *Ms.* mente. [h] *Ms.* irradiationis.

(1) Cf. Rog. Baco, *Op. Maius*, VI, *Scientia experimentalis*, ed. Bridges, II, 169 ss.

(2) Hic F corrigo ex F², l. c., qui sic habet: « Primo errores ab anima excludendo, eam in immobili veritate confirmat; secundo imaginem animae reformando, imagini Trinitatis assimilat; tertio ad supernaturalium veritatum intuitum disponendo, intellectum elevat et sublimat; quarto vero animam refraenando ne plus quam necesse sit per scrutinia se vana diffundat ». In 4 rationibus quae sequuntur in utraque ms. quartus hic effectus fidei minime consideratur.

(3) Ex nota marginali.

est hoc, videlicet quod quandocumque virtus influxa ab aliquo agente quiete non figitur in recipiente, carebit operatio connaturali fine. Verbi gratia: actio radii descendentis a sole super aquam, habet pro fine sibi connaturaliter respondente, aquam illam calefacere, et, ea calefacta et per consequens rarefacta et subtiliata, cogere ex ea vaporaliter egredi id quod in eius humido est subtilius ac magis spirituale, et sic ascendendo caelum petere. Et ideo cum invenit aquam quae modicae est quantitatis, ita ut vinci possit eius naturalis frigiditas [a] a solis caliditate, et sic quieta, ut scilicet possit virtus radiorum in eam efficaciter et profunde agere, cogit tunc eam evaporare et sic quod erat in ea subtile concito gradu versus caelum ascendere. Si autem aquam inveniat rapidi cursus, tunc non potest diu super aliquam eius particulam agere, quia statim, ut descendendo sub radio venit, raptim inferius labendo, de sub eo transiit. Cui alia aquae particula in similem modum succedit, et sic se habentibus singulis, radius solis ullam diu affecit [b], et inde est quod aqua currens, ceteris paribus, non sic calefit in aestate a calore radiorum solarium, quemadmodum calefiunt huius lacunae sive stagna aquarum quiescentium. Et secundo, quia actio [f. 14 rb] sive virtus emissa a sole non recipitur in ea quiete, ideo caret praedicto connaturali sibi fine (1). Et sic patet veritas propositae supra regulae, scilicet quod quandocumque virtus influxa ab aliquo agente quiete non figitur in recipiente, carebit operatio debito et connaturali sibi fine. Quidquid ergo est illud quod obiectum, in quod actio dirigitur ab agente, sub eiusdem agentis stabilitat virtute, illud sic obiectum disponit, ut virtus ipsius agentis non careat super obiecto illo fine sibi connaturaliter debito.

Cum ergo fides sit habitus cuius est intellectum sub aeternae lucis radio stabilire, faciendo scilicet eius irradiationi firmiorem acquiescere, et, quasi sub illa captivatum, ab ea non permittendo recedere (2), patet quod per eam intellectus [c] sic stabilientis [d] habet fidei [habitum], ut non careat actio illius influentis lucis fine connaturali sibi. Finis autem connaturalis lucis est illuminare ad hoc ut particeps fiat lucis aeternae influxae super eum a [e] divino radio. Et ideo illi quorum conscientiae domus non super firmam petram, sed super mobilissimam arenam fundata est, — cuiusmodi sunt haeretici, qui cotidiana instabi-

[a] *Ms.* frigigitas. [b] *Ms.* fecit. [c] *Ms.* intellectum. [d] *Ms.* stabilientem. [e] *Ms.* in.

(1) Clarius F²: « ...si vero radius aquam inveniat rapidi esse cursus, cum non possit super aliquam eius particulam diu stare, quia mox ut sub radio venit, modo rapido cursu pertransiit. Ita quod virtus radii non quiescit, eam non calefacit, sed caret in ea connaturali sibi fine... ».

(2) Cf. II Cor., 10, 5; S. Bonav., III *Sent.*, d. 23, q. 1, III, 471ab; ib., q. 2, 476b; ib., q. 5, 484b; ib., a. 2, q. 2, 492ab; *Comment. in Ioan.*, c. 8, 12, n. 18, VI, 358a.

litate de uno errore ruunt in alium propter carentiam catholicae fidei, per quam, ut dictum est, habet intellectus ad illuminationem disponi (1) — nunquam fient participes huius divini radii.

Quod autem huiusmodi mentis stabilitas et intellectualis tranquillitas non solum valeat ad consequendam divinae scientiae illuminationem, sed etiam ad cuiuslibet alterius scientiae acquisitionem, ostendit *Philosophus* in *VII Physicorum* (2), dicens, secundum translationem *Commentatoris: Tunc fit homo sapiens et intelligens cum anima quiescit et constat.* Et de hac materia invenies multa super illo verbo a *Commentatore* ibidem tradita.

[*Secunda Ratio*] (3)

Non solum autem fides disponit ad hoc, mentem stabiliendo, sed etiam ex eo quod assimilat ipsi aeternae luci, creatam imaginem reformando. Ad cuius declarationem notandum quod quanto aliquod agens plus invenit in aliquo obiecto de similitudine sua, tanto agit in ipsum ex maiori efficacia. Verbi gratia: plus participat de natura luciditatis tabula deaurata quam deargentata, et tabula deargentata plus quam solum dealbata, et haec plus quam lignea quae est solummodo levigata; et ideo solaris lux descendens super omnes simul tempore et seorsum a se invicem positas, maiorem generat splendoris refulgentiam super eam quae plus habet de assimilatione ad suam naturam, ut puta, quia plus generat splendoris ac refulgentiae super deauratam quam aliquam aliarum, et plus super deargentatam quam super aliquam residuarum, et, sic gradatim descendendo, minimam super ultimam. Verum est ergo quod proponebatur primo, scilicet quod quanto aliquod agens plus invenit in aliquo obiecto de similitudine sua, tanto agit in ipsum ex maiori efficacia.

Cum ergo veritas, sive lux fidei, quae lucidam reddit pupillam mentalis [f. 14 va] oculi, nihil aliud sit quam quaedam assimilatio ad ipsum solem iustitiae (4), et eius lumen continuetur per aliquem radium cum omnibus luminaribus aliis (5), postquam super omnes ali-

(1) Adnotetur F², fol. 7 va: « ...et haec est ratio quia haeretici fide carentes non sunt in suis doctrinis et sententiis stabiles, sed continue sunt de errore in errorem cadentes. Sicut in Patarenis manifestum est, qui nostris temporibus saepe sententias mutaverunt ».

(2) C. 3, circa finem (II, 388). Cf. *Arist. Opera omnia cum Averrois Comment.*, IV, Venetiis 1550, fol. 146 vb (Text.) fol. 147 rb (Comm.).

(3) Ex not. marginali. F², l. c., habet caput cum inscriptione: *Quod fides animam Deo assimilat,* quodque dividit in 2 partes; prima correspondet huic secundae rationi, secunda vero tertiae rationi quae sequetur. Multum tamen synthetizat.

(4) Mal. 4, 2.

(5) Cf. supra, p. 1, c. 3, 238.

qualiter se expandit, et in illo agit ex maiori efficacia in quo, plus invenit de similitudine sua, oportet quod cum plus inveniat in illo intellectu in quo est ipsum lumen fidei, quod est increatae imagini assimilativum, quam inveniat in eo intellectu qui hoc lumine caret, patet quod in intellectu fidei influit lux aeterna lumen suum ex maiori efficacia, et per consequens generatur super talem intellectum copiosioris splendoris relucentia.

Et sic patet quod per fidem disponitur intellectus ad receptionem divini luminis, non solum ex eo [a] quod ipsa habet intellectum quadam firmitate stabilire, sed etiam quia habet quadam claritate ipsae increatae imagini assimilare.

[*Tertia Ratio*]

Tertia via, qua ostenditur adhuc lumen fidei mentem disponere ad recipiendam copiosam illustrationem luminis aeterni, sumitur ex tertio eius effectu, quo scilicet, quasi quaedam potentialis dispositio, intellectum habilitat, ut aeternam veritatem revelata facie videat.

Ad cuius declarationem notandum quod omnis dispositio potentialis habilitat subiectum, in quo est, praecise et proprie ad suscipiendam [b] perfectionem eiusdem generis, et hoc est quod dicitur, scilicet: quod actus et potentia semper sunt in eodem genere (1). Ex potentia enim quae est ad aliquod genus quantitatis, qua, scilicet, aliquid potest crescere per longum vel latum vel profundum, impossibile est actum deduci, qui sit extra genus quantitatis, ut est actus albedinis vel nigredinis vel caliditatis vel alicuius alterius qualitatis; et idem est de ceteris aliis praedicamentis. Illa enim potentia nunquam perficitur nisi per rem quae sit secum intra idem genus, ut per actum longitudinis vel latitudinis vel alterius quantitatis; et similiter ex potentia qua aliquod genus [est] potentialiter album, quae scilicet potentia saltem per reductionem est in genere qualitatis, nunquam potest per naturam educi actus nec perfectio, nisi quae sit secum intra idem genus. Non enim ex ea potentiali dispositione qua aliquid est album fiet aliquando longum vel latum, sed tamen perficitur potentia illa per aliquam perfectionem intra genus qualitatis [c] existentem, et similiter ex potentia quae est in materia per quam disponitur ad formam substantialem, quae est praedicamenti substantiae, nunquam educetur perfectio alicuius formae quae sit alterius generis, scilicet alicuius praedicamenti accidentalis. Sic ergo patet quod est verissima regula primo posita,

[a] *Ms.* ea. [b] *Ms.* suscipienda. [c] *Ms.* qualitates.

(1) Cf. Arist, *De generat. et corrupt.*, I, c. 7 (II, 446). Cf. Rog. Baco, *Mult. spec.*, II, 411 s.

scilicet, quod omnis dispositio potentialis habilitat subiectum in quo est proprie et praecise ad suscipiendam perfectionem eiusdem generis.

Constat autem quod illud lumen fidei, quod est nunc in intellectu catholico et fidei, est quasi quaedam potentialis dispositio, qua scilicet homo fit habilis ut illa videat revelata facie in patria, quae per hoc lumen videt sub aenigmate [f. 14 vb] adhuc peregrinus et exsul existens in via. Cum ergo hoc lumen fidei sit in mente rationali, ut dictum est, quasi quaedam dispositio imperfecta et potentialis, habilitat proprie et praecise, secundum regulam primo probatam, subiectum in quo est, scilicet ipsam mentem rationalem, ad recipiendam perfectionem luminis quod sit secum eiusdem generis. Cum ergo ipsum lumen fidei sit de genere luminis divini et ab aeterna luce irradiati, habilitabit proprie intellectum, in quo est, ad recipiendam illius eiusdem luminis, cuius habet per fidem semiplenam dispositionem, copiosam et magis perfectam irradiationem. Et sic habetur propositum, videlicet quod per lumen fidei existens in pupilla mentalis oculi ipse intellectus disponitur ut ab aeternae lucis irradiatione abundanter illustretur.

[*Quarta Ratio*].

Quarta vero via, qua iterum declaratur idem, sumitur ex quarto (1) eius effectu, quo scilicet habet intellectum adhuc sublimare ut altissimas articulorum veritates capiat, quae supergrediuntur agentis intellectus lumen naturale.

Ad cuius declarationem sciendum est quod semper modificantur finales perfectiones secundum quod exigunt praeambulae dispositiones et e converso. Cuius veritas patere potest tam in arte quam in natura. In arte quidem patet in hoc exemplo, scilicet in digestione quae ad purgationem habet humores praeparare, et in potione quae post digestivum adveniens, praeparatos humores habet educere. Quanto enim artificialior praecesserit in expurganda materia praeparatio, tanto etiam perfectior et laudabilior superinducetur purgationis perfectio. Patet etiam huiusmodi veritas in natura: sicut enim in corpore humano, quod per adventum rationalis animae perficiendum est, praecedit nobilior elementorum complexio quam praecedat in animato alio corpore mixto, sic introducitur in ipsum vegetativa maioris nobilitatis quam in aliquo alio corpore alicuius alterius animalis, et post hanc etiam introducitur nobilior sensitiva in eo quam in aliquo animali alio. Et ulterius: quia in hoc corpore nobilissima vegetativa et sensitiva praecedunt ut dispositiones, ideo introducitur in ipsum rationalis anima, quae est tantae nobilitatis perfectio, quod similis ei non datur alicui alii corpori animato; quod ideo est quia in nullo alio praecedit tam

(1) Hoc non est ex *quarto*, sed ex *tertio* fidei effectu, uti patet ex divisione initiali (supra, pag. 352). F² omnino concordat cum F.

nobilis dispositio (1). Patet ergo quod quanto nobilior est in aliquo perfectibili dispositio, tanto altior addicitur ei perfectio.

Cum ergo lumen fidei quod est in intellectu catholico, sit in ipso intellectu non in ratione perfectionis finaliter consumantis, sed potius in ratione dispositionis ipsum praeparantis ad revelatum intuitum aeterni luminis; et iterum, cum hoc quod est in ipso intellectu, sicut dispositio, sit lumen istud tantae altitudinis, ut supergrediatur omne lumen naturae vel artis quod est in nobis, sicut est ipsum lumen intellectus agentis et cuiuslibet acquisitae facultatis, oportet quod ipsum disponat intellectum ad susceptionem alicuius perfectae luminositatis, quae ipsa sui altitudine supergrediatur omne aliud lumen quod sit in nobis.

Lumen autem istud, quod scilicet suae altitudinis excellentia est super omne aliquod aliud lumen, [non est lumen] ab inferiori acquisitum, quale est lumen scientiarum illarum quae a sensu habent ortum in nobis, sive per [f. 15 ra] auditum, ut sunt illae quae [a] docentur ab aliis, sive per visum vel alium sensum, ut sunt illae quas particularia experiendo cotidie et conservando memoriali tenacitate, acquirimus naturale quod est in nobis principium artis et scientiae, ut docet *Philosophus* in fine *Posteriorum* (2) et in prologo *Novae Metaphysicae* (3); et haec est scientia quam non ab aliis acquirimus, sed ipsimet invenimus, nam, ut dicit idem *Philosophus*, omne quod quis novit, discens vel inveniens novit.

Nec etiam potest esse lumen intellectus agentis quod est nobis per naturam insertum [b], nam illud non potest supergredi omne aliud lumen quod est in nobis. Non enim altius esse potest quam sit lumen prophetiae vel ipsum lumen fidei, vel etiam lumen quod est donum intellectus vel consilii. Quodlibet enim horum elevat intellectum ad earum rerum intuitum, ad quas videndas lumen intellectus agentis non potest ipsum intellectum possibilem reducere, et ideo per naturam nullo

[a] *Ms.* quas. [b] *Ms.* per naturam et sertum.

(1) Cf. S. Bonav., *II Sent.*, d. 17, a. 2, q. 3, II, 424ᵃ. Adnotetur additum F², f. 7 vb: « Non quod vegetativa, sensitiva et intellectiva sint in homine ipso tres animae, sed unius animae tres potentiae simul infusae, simulque creatae. Absit enim cogitare vel dicere quod vegetalis vel sensibilis sint in homine per generationem et quod corrumpantur cum corpore, cum nullus unquam Sanctorum hoc dixerit et maxime Augustinus, qui in diversis libris tam multa de anima sit locutus. Et maxime quia ex hoc sequeretur quod vegetativa et sensitiva in Christo fuerunt in morte corruptae, cum essent divinitati unitae. Quod dicere haereticum puto esse et alibi recolo me probasse. Itaque his obmissis quae ad viam praesentem non pertinent, dicamus quod tanto nobilior... ».

(2) Cap. 15 [19] (I, 170).

(3) Cap. 1 (II, 468 s.). Sequentem citationem non inveni.

modo potest ad earum elevari aspectum, quoniam cum omni potentiae passivae quae est in natura correspondeat aliqua potentia activa (1), ad ea debet passiva naturaliter posse elevari, ad quae per naturalem potentiam activam, quae sibi est proportionata, potest reduci.

Et ideo cum intellectui possibili respondeat velut potentia activa et in actum reductiva ipse intellectus agens, qui est ei coniunctus in anima nostra, ad ea sola cognoscibilia debet intellectus posse per naturam pervenire, ad quorum intuitum potest ipsum intellectus agentis lumen reducere. Cum ergo lumen agentis intellectus non se extendat per se ad intuitum articulorum fidei, quod tamen facit ipsum gratuitum lumen fidei et etiam lumen propheticum, patet quod illud lumen, quod est nobis per naturam innatum, non potest esse omnium aliorum, quae sunt in nobis, altissimum et perspicuissimum.

Si ergo omne lumen quod est in nobis, vel est ab inferiori acceptum, vel naturaliter nobis innatum, vel desuper nobis a Deo irradiatum, et nec primum nec secundum potest esse illud lumen ad quod disponit illuminatio fidei, quod probatum est esse altissimum, oportet quod hoc lumen, ad quod ipsa disponit, sit lumen tertium, scilicet illud quod a Deo est nobis desuper influxum, et sic haberi videtur propositum, scilicet quod per ipsum lumen fidei habet mens humana disponi ut super se resplendeat refulgentia immissa a radio luminis aeterni.

Patet ergo qualiter ad hoc per fidem habeamus disponi (2). Qualiter autem ad eiusdem luminis infusionem disponant aliae virtutes theologicae et cardinales alias exponetur, quoniam ad praesens dici temporis brevitas non patitur.

[CAPUT SECUNDUM]

[Humilitas et obedientia disponunt ad divinam illuminationem]

Qualiter autem humilitas et aliqua alia disponant ad hoc idem, ita ad praesens habetur. Sciendum ergo quod postquam Salvator dixit: *Ego sum lux mundi*, adiunxit: *qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* In quo verbo, scilicet adiuncto, monstravit quod humilitas ad lumen illud habendum disponit, et hoc quia humilium est proprie sequi eum. Sicut enim superbi praeferunt se Deo et se ei anteponunt et eum postponunt, quasi vellent eum facere se sequi, ita ab

(1) Cf. Arist.. *Metaph.*, IV, c. 15 (II, 526); *De Anima*, III, c. 5 III, (468).

(2) Quattuor positas rationes synthetice praebet nota quae invenitur in F, fol. 14 ra, marg. inf.: « Prima ratio: quia fides stabilit intellectum, ut stabiliter, quiete lumen recipiat. Exemplum in aqua quieta, quae influentiam solis magis recipit quam mota et citius calefit. — Secunda ratio: quia fides assimilat Deo, sicut luce participat tabula deaurata amplius quam alia. Per quae fides assimilans intellectum Deo ostenditur (?). — Tertia quia fides est dispo-

oppositis humiles praeferunt Deum sibi [f. 15 rb] et seipsos postponunt ei, et ita sequuntur et honorant, iuxta illud Ecclesiastici, 3, [21][a]: *Magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur.* Qui ergo sic sequuntur, illi non ambulant in tenebris, sed habebunt lumen vitae.

[Humilitas disponit ad recipiendum lumen divinum] (1)

Et ratio quare illi qui sic sequuntur per humilitatem non ambulant in tenebris, sed habebunt[b] lumen vitae est ista. Si enim est aliquis descensus in aliquo, oppositum illius erit principium ascensus in eodem; quia enim gravitas in lapidibus et metallis est principium descendendi a superioribus ad infima, ideo videmus quod eius oppositum, ut levitas, est principium ascendendi, ut patet in levibus, scilicet in igne, fumo et similibus.

Quia ergo superbia fuit principium descendendi a caelo empyreo, in quo est participatio luminis vitae et beatitudinis aeternae, et labendi in tenebras, ideo oportet quod oppositum superbiae, scilicet humilitas, est principium ascendendi a tenebris ad caelum empyreum et ad recuperationem luminis praedicti. Vere ergo qui sequitur eum per humilitatem non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae, quia per ipsam humilitatem ascendet ad gloriam patriae, sicut descensus ad tenebras infernales fuit per gravitatem sui oppositi, scilicet superbiae.

Item alia via qua patet humilitatem disponere animam ad recipiendam divinae sapientiae illuminationem est haec. Sciendum igitur quod quanto aliquod corpus est in ordine universi magis imum, tanto fit caelestium radiorum maior aggeratio super ipsum; exemplum est de terra, et probatur hoc infra latissime (2). Sic quanto aliquis spiritus in ordine ecclesiasticae Hierarchiae fuerit per profundiorem humilitatem magis imus, tanto erit super ipsum, ceteris paribus, aggregatior et copiosior divinorum radiorum concursus et, per consequens, divinae illustrationis effectus.

[Obedientia mandatorum etiam disponit] (3)

Item quod per obedientiam disponatur quis ad recipiendam divinam illuminationem sic monstratur. Ad cuius evidentiam nota quod si duarum immediatarum causarum una ponit aliquem effectum, contraria

[a] *Ms.* e. [b] *Ms.* habebit.

sitio disponens intellectum, ex qua educitur actus visionis divinae in patria, ut ex potentia albedinis album etc. — Quarta est quia fides est dispositio disponens ad introductionem formae nobilissimae, ut vegetativa et sensitiva hominis disponens ad rationalis introductionem ».

(1) Ex nota marginali.

(2) Pars 4ª, c. 7.

(3) Ex nota marginali.

illi necessario ponit contrarium (1); verbi gratia: si excessiva inaequalitas humorum ponit febrilem distemperantiam, et eius contraria necessario ponet contrarium, videlicet, quia commensurata aequalitas humorum ponet temperantiam febri oppositam. Patet ergo propositae regulae veritas.

Cum ergo transgressio mandatorum Dei fuerit causa ad quam immediate secutus est effectus intellectualis ignorantiae et caecitatis et privationis luminis a Deo descendentis, necesse est quod causa huic contraria, id est observantia mandatorum eius, quae est per vitae sanctificationem, sit positiva effectus contrarii, scilicet luminis divini super mentem influxi; et propter hoc dicit *Scriptura* praecepta Domini lucida esse, *Psalmus* [18, 9]: *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos* (2), ab effectu scilicet illuminationis praedictae. Sicut, secundum *Philosophum* (3), amaritudo et aliae passibiles qualitates dicuntur passiones, non quia in se passionem sentiant, sed quia eam efficiant, sic et divina praecepta dicuntur lucida [f. 15 va] non tantum quia divinum lumen quodammodo contineant, sed quia etiam illud praedicto modo efficiant, quod patet per effectum sequentem iam statim illuminans oculos, et in *Proverbiorum* [6, 32]: *Mandatum lucerna est et lex lux.*

Patet ergo quod observantia mandatorum disponit ad susceptionem divinarum illuminationum secundum viam praedictam, quod etiam ostenditur per aliam sic. Quandocumque vulneratur et debilitatur aliqua potentia, primus actus qui ex illo vulnere aufertur est ille qui inter ceteros erat actus altissimus [a]; verbi gratia: cum laeditur oculus, primo perdit actum videndi a longe minima et sustinendi [b] intuitum eorum quae sunt excellenter lucida; remanet autem ei intuitus magnorum a longe positorum et perdit visionem minimorum. Si autem amplius laedatur, aufertur adhuc ei videre a longe grossa [c] et remanet ea videre de propinquo, et sic semper cum fit laesionis appositio, fit primo no bilioris actus subtractio.

Quoniam ergo humana natura tota fuit in primo parente vulnerata, ideo statim ex illa vulneratione fuit ablatus actus ille qui inter omnes alios erat altissimus. Et quia altissimus actus qui esset tunc in humana natura ex parte intellectus erat divinarum rerum limpida cognitio, et ex parte affectus earundem degustatio, ideo utrumque illorum perdidit; et sic tam divinae cognitionis illuminatione, quam divinae dulcedinis degustatione privatus remansit. Et etiam, quod peius est, in contrarium incidit, sicut corpus egressum a debita temperantia ae-

[a] *Ms.* altissimi. [b] *Ms.* subsistendi. [c] *Ms.* crossa.

(1) Cf. Arist., *Physicorum*, V, c. 5 [7] (II, 314 s.).
(2) Cf. S. Anselmum, *De fide Trinit.*, c. 2, Migne, P. L., 158, 263 ss.
(3) *Categoriae*, c. 6 [8] (I, 14).

qualitatis incidit in intemperantiam febris. Incidit ergo in errorem respectu veritatis cognoscibilium, et in fastidium respectu degustationis spiritualium. Unde et ante adventum medici et medicinae, id est Salvatoris et sacramentalis gratiae (1) quae sanativa [a] est praedictae plagae, error turpissimus, scilicet idololatriae, quasi omnem intellectum humanum occupaverat, et brutalis delectatio sensibilium, turpissimorum scilicet coituum [b], universum fere orbem foedaverat. Patet ergo quod remansit homo privatus illustratione divini luminis ex aegrotatione inflicti sibi vulneris; nec est possibile ut redeat iterata susceptio praedicti luminis, nisi simpliciter vel secundum quid reducatur potentia ad statum sanitatis. Nec potest ad hoc [c] pervenire nisi observando praecepta illius medici peritissimi, qui in nullius cura potest decipi.

Quidquid ergo est illud quod inducit observantiam praeceptorum huius infallibilis medici, hoc est quod adiuvat laesam potentiam ad tantam susceptionem luminis divini, sed hanc inducit promptitudo obedientiae; ipsa ergo parat mentem ad susceptionem illuminationis divinae.

[CAPUT TERTIUM]

[Sanctitas et Caritas disponunt ad divinam illuminationem] (2)

Item *qui sequitur me* non solum per humilitatem, sed per omnium communiter virtutum sanctitatem, ille similiter *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* Ratio cuius est haec, scilicet quia sanctitas vitae disponit intellectum ad perticipationem illuminationis divinae et per comparationem intellectus ad id quod est superius, [f. 15 vb] sicut est speculum aeternum et character in quo omnia scibilia sunt sculpta actu, et per comparationem intellectus ad inferiora, id est ad ipsas vires ei subiectas.

[I Via]

Primum patet sic: scilicet quod *qui sequitur* Dominum per vitae sanctitatem *non ambulat in tenebris* per intellectus caecitatem; sed potius ex tali sequela disponitur eius intellectus ad id quod supra ipsum est, scilicet ad increatam lucem. Intellectus enim noster est in potentia respectu omnis intelligibilis quod in universo continetur; unde et *philosophi* de hac materia loquentes, maxime qui modernis temporibus in

[a] *Ms.* sanatām (?). [b] *Ms.* cōintuum (?). [c] *Ms.* adhuc.

(1) Cf. S. Bonav., *Hexaem.*, col. 7, n. 10 s., V, 367a; *Itinerarium*, c. 1, n. 7, V, 298a.
(2) Ex 2 notis marginalibus.

Arabia philosophati sunt (1), dicunt intellectus humani in hoc consistere perfectionem post eius separationem a corpore, ut scilicet describatur in eo forma totius universi et perspicua cognitio eius, ut scilicet comprehendat qualiter sub prima causa ceterae causae creatae et secundariae ordinentur, quousque perveniatur ad ultimum et extremum universi effectum.

Haec autem omnia sunt in intellectu divino actu idealiter existentia. Omne autem activum agit secundum quod est in actu et non secundum quod est in potentia (2), et ideo primum, cui omne agens proportionatur ad producendum, est sua similitudo. Et ideo quod est in divinis a Patre productum est eius expressissima imago, scilicet Filius; et sicut proprium est Filii primo a Patre produci, loquendo de prioritate rationis, ita etiam proprium est Filii imago Patris in Trinitate dici. Et sub hac ratione non potest convenire personae Spiritus Sancti, sicut nec potest convenire ei ante Filium a Patre produci. Et sicut est in divinis, ita etiam inveniemus comparando Deum creaturis, ut scilicet inter primo creata inveniatur una creatura ei propinquissima et ad eius imaginem productam, quae est angelica natura, quae est de quattuor coequaevis una (3).

Nec intelligendum quod, si hoc vel illud producit primo vel secundo, vel uno vel alio modo, quod hoc ab eo fiat secundum necessitatem, quemadmodum ei imposuerunt *aliqui philosophi* (4), cum sit agens absolutissimum et liberrimum, sed ideo sic agit, quia sic exigere novit suae bonitatis et sapientiae ordinem. Si tamen vellet, posset alium ordinem in producendo servare; posset autem non irrationabiliter dici quod, etsi creatura illa, quae ad eius imaginem est producta, scilicet natura angelica, sit simul tempore cum materia prima et tempore ac coelo empyreo producta, tamen ordine naturae sive naturalis intelligentiae in productione praecedit alia tria. Et sic intellectus divinus tam Filii quam creaturae productioni comparatus, illud invenitur producere primo in quo repraesentatur eius imago.

---

(1) Cf. Algazel (Al Ghazzâlî), *Logica et philosophia*, c. 2: « Anima vero speculum est, nam et depinguntur in ea formae totius esse, cum munda et tersa fuerit a sordibus moribus... Depingi autem formas omnium quae sunt in anima nihil aliud est quam scientiam omnium esse in ea ».

(2) Cf. Arist., *Physicorum*, VIII, c. 5 (II, 352); *Metaphys.*, VIII, c. 8 (II, 570).

(3) Cf. S. Bonav., *Breviloquium*, p. 2, c. 6, V, 224; II *Sent.*, d. 2, a. 2, q. 3, II, 68ab.

(4) Nempe averroistae. Cf. *De necessitate et contingentia causarum*, ed. P. Mandonnet, O. P., *Siger de Brabant et l'averroisme latin au XIIIme siècle*, pars II (*Les Philosophes Belges*, VII), Louvain 1918, 111-128; item propositiones condemnatas anni 1277, ib. 178 ss. et opera Sigeri de Brabantia quae edidit Mandonnet in eodem volumine.

Cum ergo sint in intellectu divino omnia scibilia proportionabiliter ad producenda illis similia in intellectu humano, cum sit respectu talium in potentia, huiusmodi autem potentia reducitur ad actum in intellectu humano a divino intellectu tanquam a suo activo, et huiusmodi reductionem facit quodam modo, scilicet dispositive, ipsa vitae sanctitas, in qua humanam voluntatem informat caritas.

[II Via]

Quae quidem caritas et est transformativa et mediante spirituali ardore [f. 16 ra] liquefactiva, et ideo uniendo mentem humanam per amoris astrictionem ipsi Dei Filio, qui est character aeternus, ut dicit *Apostolus ad Hebraeos* 1, [3], in quo quasi in sigillo sunt sculpta ideali repraesentatione universa scibilia, mentem humanam, cum sit virtus transformativa et liquefactiva, quasi calidam ceram et impressioni aptam, reddit[a] ab illo sigillo aeterno scibilibus suis impressam. Caritas ergo mediante transformationis effectu humanam mentem illi aeterno sigillo vehementer astringit et applicat, et liquefactiva virtute animam impressibilem reddens, hoc agit ut scilicet aeternum sigillum suorum scibilium vestigia in humanam mentem impressa relinquat (1).

Quia tamen voluntarium est in omni actione sua, ideo non universa scibilia, sed ea quae recipienti videt utilia, *Isaias* [48, 17]: *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia*, illa, inquam, menti eius relinquit impressa. Et inde est quod devotissimi homines (2) qui per excellentem contemplationem et fervidum amorem frequenter illi speculo astringuntur et applicantur, de saecularibus scientiis, in quibus maior est curiositas quam animae utilitas, pauca noverunt; de iis autem quae spectant ad viam salutis, ut de virtutibus et vitiis, limpidissimam cognitionem acquirunt.

Sic ergo patet quod *qui sequitur* Dominum, qui hic se dicit lucem, *non ambulat in tenebris* per erroris caecitatem, sed potius vitae sanctitas disponit eius intellectum ad recipiendam impressionem cognitionis sibi utilium a speculo aeterno, quod est supra ipsum.

---

[a] *Ms.* redit.

---

(1) Cf. supra, pars. 2a, c. 2, 349 s. Rog. Marston, *Quaestiones Disputatae* [*De Anima*]. q. 3, Ad Claras Aquas 1932, 263 s., qui etiam citat. S. Augustinum.

(2) Nota marg.: « Ut patet de apostolis quando caritate fuerunt inflammati in pentecoste, omnia sciebant ut legitur Actus apostolorum (?) et scientiam divinam habebant; sicut et Franciscus idiota magna sciebat ut mirarentur omnes ».

[III Via]

Disponitur etiam ab eadem sanctitate ut recipiat eandem claritatem per comparationem ipsius intellectus ad alias vires quae sunt infra ipsum (1), et hoc quantum ad viam tertiam sic patere potest.

Vires brutales, quae sunt in nobis sub intellectiva potentia constitutae, quando propter inordinatam hominis vitam non sunt edomitae, sed potius suae brutalitatis furore saeviunt, et ex inordinato conquassationis motu tempestatem in minori mundo inducunt, tunc, inquam, impediunt duplici via lumen divini radii super intellectivam potentiam quiete recipi.

Ad intelligentiam ergo primi nota, quod secundum *beatum Augustinum*, in libro *De Quantitate animae* (2), quandocumque in una substantia diversae radicantur potentiae, dum una vel plures contingit circa suos actus intendi, necesse [est] aliquam vel aliquas circa sua officia remissionem ac debilitatem pati. Et ideo sicut, dum inferiores corporis partes vehementer contingit moveri, necesse est etiam caput aliqualiter agitari, sic, dum inferiores vires fortiter suis inordinatis motibus intendunt, ipsum mentis [a] verticem a sua tranquillitate impediunt, et intellectivam potentiam quadam inordinata agitatione moveri compellunt.

Et propter hoc sicut videmus quod cum a sole materiali descendit radius super situlam cuius aqua inquieta est, radius incidens super aquam motam in ea quiete non recipitur, nec, per consequens, efficaciter operatur (3), sed potius ibi frangitur et, quasi repulsus, ad oppositum [f. 16rb] parietem vel aliud corpus repercutitur. Aliud exemplum est de oculo aspiciente aliquod obiectum: si enim oculus fixam et quietam teneat pupillam per lineam deferentem illius obiecti speciem, relinquitur ibi impressio similis illius obiecti, ita quod videt eam etiam si non aspiciat ad dictum obiectum. Si vero non quiete ad illud obiectum aspiciat, sed ipsam [pupillam] supermovendo, nunquam simul impressio fiet. Et simile est de oculo spirituali obiecto divino lumini.

Sic dum speculum intellectus nostri inquietatur a strepitu brutalium affectionum sub ipso furentium, radius descendens a sole iustitiae (4), qui est Christus Deus noster, et ad mentem humanam perve-

[a] *Ms.* ipsam mentem.

(1) Cf. Rog. Baco, *Scientia experimentalis*, II, 170 ss.; *Compendium Studii philos.*, c. 2, ed. Brewer, London 1859, 404 ss.

(2) In de *Quantitate animae* hoc non inveni. Cf. *De ordine*, l. 1, c. 2, n. 3, Migne, P. L. 32, 979 s.; S. Bonav., *II Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 1, fund. 6, II, 559b; ib. d. 10, a. 1, q. 1, obi. 5, 260a, ubi Editores citant etiam Averroëm.

(3) Cf. supra, p. 3a, c. 1, 353.

(4) Mal. 4, 2.

niens, et intranquillam reperiens, in ea quiete non recipitur et, per consequens, illuminationem et incalescentem affectionem in ea non operatur, sed, quasi aliorsum repercussus, a sic indisposita mente repellitur [a]. Quod *Psalmista* conqueritur dicens: *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum* [ps. 37, 11]; et illud: *Supercecidit ignis et non viderunt solem* [ps. 57, 9], scilicet iustitiae; propter quod *Ephesios* 4, [26]: *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Propter hoc dicunt impii tali furore exagitati: *ambulavimus vias dissimiles, lassati sumus* etc., *Sapientiae* [5, 7]. Si ergo essent huiusmodi brutales motus per vitae sanctitatem edomiti et ita tranquillati, ut libere possit mens intellectus sui oculum quietum praeparare ad suscipiendum divinum radium, patet quod vitae sanctitas, qua quis tunc imitaretur Dominum, redderet ipsum aptum ad suscipiendum super mentem suam lumen divinum. Et hoc dictum est quantum ad primum modum.

Ad evidentiam autem secundi modi nota quod ita suo modo superponitur pars intellectiva inferioribus potentiis, quas habemus communes cum brutis, sicut superponitur suprema et purissima pars aëris inferioribus et turbulentioribus elementis. Et ideo sicut tempestate excitata in inferioribus elementis, ex elevatione pulverum et vaporum aër obtenebratur a fumositate nubium, et per consequens impeditur illuminatio quam ibi exercere debet sol per suum radium, sic etiam in proposito intelligendum est, quod scilicet, dum in brutalibus potentiis sub intellectu positis excitatur tempestas iracundiae aut consimilis furoris, ascendunt pernubilantes puritatem et perspicuitatem intellectivae partis, impedientes sua tenebrositate illuminationem radii a Deo super ipsam venientis (1).

Super quam turbulentiam comparatur cor impii turbulento mari, *Isaias* [57, 20] [b]: *Cor impii quasi mare fluens quod quiescere non potest, et redundant fluctus in conculcationem et lutum.*

Ergo vitae sanctitas qua quis Dominum sequitur, inferiores vires in tranquillitate retinens ac per hoc intellectus puritatem ab obnubilatione defendens, per huiusmodi tranquillationem disponit mentem hominis ad recipiendam super se divinam illuminationem.

[IV Via]

Quarta autem via, qua etiam ostenditur quod sanctitas vitae disponit hominem ut non ambulet in tenebris per erroris caecitatem, sed habeat lumen vitae per illustrationem mentalem a Deo venientem,

[a] *Ms. add.* Psalmus (?). [b] *Ms.* Is. VI.

(1) Aliqua similia fere verbotenus habentur in *Quaest.* 41. Cf. *Prolegomena*, 210 s.

[f. 16 va] est ista. Quae ut melius videatur prius in materiali exemplo consideretur.

Sciendum quod, sicut tradunt Auctores plures, scilicet *Constales* (1), in libro *De differentia spiritus et animae,* et *Avicenna,* in *Prima parte* (2), et idem tangit *Augustinus,* in libro *De spiritu et anima* (3), et innuit *Philosophus,* in libro *De somno et vigilia* (4), a corde oritur quidam spiritus qui procedit inde ad caput et in cerebri [a] ventriculis recipitur, et inde ad omnium sensuum organa descendit, cuius descensus et derivationis iste est modus. Ab anteriori parte capitis, ut *Avicenna* (5) tradit, descendunt per quamdam ramificationem multa nervorum paria, ita quod inter alios nervos, qui ad diversa pertingunt loca, duo veniunt ad ambas aures et alii duo ad oculos, alii duo ad nasi carunculas et sic de aliis sensibus. Nervi autem praedicti omnes sunt concavi, et per illius concavitatis meatum spiritus, qui a corde procedit ad caput, ab ipso capite defluit ad omnes sensus et ad membra quibus praedictorum sensuum complentur opera (6). Quando autem accidit quod cadat aliquis humor vel aliquod consimile in meatu et concavitate alicuius praedictorum nervorum, ita quod prohibente illius obstaculi impedimento non possit ulterius descendere spiritus a capite ad illud organum, remanet sensus ille, cuius obstructa est via, privatus operatione sua. Inde est quod inveniuntur aliquando homines habentes [b] exterius oculos clarissimos et tamen nihil videntes, quia intrinseci meatus illorum nervorum, qui debebant producere a capite ad oculum visibilem spiritum, sunt opilati et alicuius obstaculi impedimento destructi (7).

Ad huius ergo materialis caecitatis similitudinem, qua quis videtur habere oculos claros, et secundum veritatem in tenebris est et

[a] *Ms.* celebri. [b] *Add. mg.*

(1) Aliter Constabulus, Costa-ben-Luca et Constantinus Africanus. *Excerpta Costa-ben-Lucae, de differentia animae et spiritus* ed. Barach (*Bibliotheca philosophorum mediae aetatis,* fasc. 2), Insbruck 1878.

(2) Forsan opus Avicennae cui titulus *Sufficientiae,* quodque dividitur in diversas partes, nempe *physica, logica, mathematica* etc. Cf. eiusdem *De Anima,* p. 5, c. 8. Venetiis 1550, fol. 28 r.

(3) Pseudo-Augustini seu Alcher de Clairvaux. Cf. c. 10, Migne, P. L. 40, 785.

(4) Cf. c. 2, (III, 503); c. 3, (III, 505) et alibi, non tamen explicite. Cf. eiusdem *De Animal. generat.,* l. 2, c. 4 (III, 356).

(5) Cf. *De Anima,* l. c.; S. Bonav., III, 290, not. 2; V, 332[b], n. 19.

(6) Cf. Alhacen, *Perspectiva,* I, c, 4, n. 4-13, ed. Risner, 5-7 et alibi praesertim in primo libro; Rog. Baco, *Perspectiva,* II, 12 ss.; Matth. ab Aquasparta, *Quaest. de cogn.,* q. 3, ed. Quaracchi, 260 s.; R. Marston, *Quaest. Disp.* [*De Anima*], q. 8, l. c., 402, ad 10.

(7) Cf. R. Marston, l. c., 391 s.

actum videndi non habet, intelligendum est rem se habere in spirituali caecitate. In Trinitate enim ab ipso corde, id est ab ipso Patre, qui est in divinis totius divinitatis principium fontale (1), procedit Spiritus Sanctus in Filium, non, inquam, in Filium ut in subiectum, sicut ab igne descendit calor [a] in aquam se calefactivam, sed sicut in obiectum, quemadmodum procedit amor ab amante in amatum; et eodem modo procedit etiam a Filio in Patrem. Spiritus ergo Sanctus procedit [b] a corde Patris, ut sic dicatur, in ipsum Filium, qui est caput nostrum. Item, ab isto capite, scilicet Iesu Christo (2), derivatur in omnia eius spiritualia membra iuxta uniuscuiusque dispositionem: actus enim omnium activorum sunt in patiente secundum eiusdem dispositionem (3); et fit iste descensus per nervos intrinsecos et occultos, id est per occultissimas inspirationes. Veniens autem ad organa et membra superioris nostri hominis, perficit in nobis operationem spiritualis auditus, divinarum scilicet inspirationum; et spiritualis gustus, id est mentalis degustationis divinae dulcedinis, iuxta illud: *gustate et videte quoniam suavis est Dominus* [*ps.* 33, 9]; et spiritualis olphactus, id est discretionis, qua interior homo inter virtutem et vitium discernit, sicut corporali olphactu discernunt animalia an apposita cibaria sint proficua vel nociva. Iuxta quod accipi potest quod de quibusdam dicit *Apostolus,* [*Hebraeos*] V, [14] [c]: *Qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali.* Complet etiam Spiritus in interiori [f. 16 vb] homine actum spiritualis visionis, irradians intellectivum oculum mentis (4).

Si ergo contingat hominem aliquod peccatum mortale committere, ita quod illius peccati macula intercipiatur media inter ipsum caput nostrum, scilicet Christum, et mentis nostrae oculum, tunc oculus visibilis, id est visionem efficiens, veniens ab ipso capite nostro ad ipsum mentis oculum, obstante tenebra peccati media, non illuminabit eum, et oportebit interiorem hominem remanere excaecatum, et huius excaecationis causa, ut iam patet, est ipsum mortale peccatum quod dividit inter mentem et Deum. Sanctitas ergo vitae et puritas conscientiae, quae excludit mortale peccatum et tollit de medio ipsum culpae obstaculum, quod dividit inter mentem et Deum, est causa faciendi illuminari intellectualem nostrum oculum.

His ergo quattuor modis sufficiat ad praesens esse declaratum verum esse Salvatoris nostri dictum, quo, scilicet, ait ut si quis eum

[a] *Ms.* cacor. [b] *Ms.* procedens. [c] *Ms.* g.

(1) Cf. Dionys. Areop., *De caelesti hier.*, c. 1, n. 2, Migne, P. G. 3, 122.

(2) Cf. S. Bonav., *Hexaem.*, col. 3, n. 17, V, 346[a].

(3) Cf. Arist., *De Anima,* II, c. 2 (III, 446 s.).

(4) Hic habetur terminologia vere bonaventuriana; pro citationibus cf. R. Carton, *L'illumination intérieure chez Roger Bacon,* Paris 1924, 243, n. 1.

sequitur per vitae sanctitatem et conscientiae puritatem *non ambulat in tenebris* per interiorem excaecationem [a], sed ex tali sequela habebit mentalem illuminationem.

[Pars Quarta]

[Operationes Lucis Divinae]

[Quatenus Illuminat].

Multae autem sunt operationes quas efficit in anima hoc lumen vitae, quod ostensum est supra (1) eam acquirere ex divina imitatione. Ad quarum evidentiam praenotandum est quod lucis natura est caloris introductiva, quod docet ratio et experientia. A corpore enim lucido, ut iam dictum est (2), emittuntur radii per modum linearum imaginabilium a quolibet puncto sensibili; quantum ergo huiusmodi puncta, id est minima sensibilia, sunt quasi innumerabilia et absque distantia sese contingentia, fit inde innumerabilium radiorum emissio in omnem partem prodeuntium. Et tanta est eorundem aggregatio et constipatio, tantaque eorum sibi occurrentium mutua intersecatio, quod ex multitudine sectionum et linealium radiorum facta frequentissime super eodem puncto, generatur quaedam ignitio et calefactio in obiecto illo, ad quod est radiorum processio et super quod fit illa sectio. Unde sensibiliter videmus quod in omni loco in quo est lucis irradiatio, maior est calor in aëre, quam ubi est obumbratio protectiva et radiorum prohibitiva. Adhuc etiam quanto in aliquo loco maior fit radiorum collectio et constrictio, tanto, ceteris paribus, est ibi maior caloris multiplicatio; unde et naturaliter homo qui vult calefieri a radiis solis, citius confugit ad locum per modum anguli conclusum quam ad locum undique patentem et liberum. Ex quibus omnibus multisque aliis hic omissis elicitur lucem esse caloris generativam [b].

Sciendum ergo quod quaedam efficit [c] in quantum lux pura, et [d] quaedam [e] in quantum est [f] caloris generativa (3). De utrisque au-

[a] *Ms.* excitationem. [b] B Ab initio IV partis: Multae autem sunt operationes huius luminis in anima, quarum aliquas scire poterimus manuducti ab operationibus lucis materialis. [c] B *add.* lux materialis. [d] B *om.* [e] B *add.* vero. [f] B *om.*

(1) Pars 3a, c. 1, 354 s.

(2) Cf. supra, p. 1a, c. 1, 231, c. 3, 235 s.

(3) Pro hac distinctione, quae videtur esse ab Avicenna, cf. Baeumker, *Witelo* (*Beiträge*, III, 2), Münster i. W. 1908, 391, n. 2 et 452 ss.

tem effectibus dicantur [a] iuxta tenuitatem nostram aliqua paucula, et primo de iis quae efficit ex ipsa tantum lucis natura [b].

Dicendum ergo, sine praeiudicio melioris sententiae, quod lux [c] ex sua natura et absque caliditate [d] per eam introducta [e] est radiorum [f] suorum communicativa; eorundem partim confuse partim distincte productiva; super eo quod [g] magis est imum magis est dictorum multiplicativa; eorum quae post eam sunt posita est occultativa; [f. 17 ra] deviorum directiva; occultorum revelativa; deformatorum decorativa; contrariorum conciliativa (1).

Sciendum autem quod propter haec et similia, quod proprietates operum divinorum, scilicet rerum naturalium, praeter quasdam patentissimas et magis sensui subiacentes ac per hoc ignobiliores, cognoscere non valemus. Ratio cuius est quoniam per proprietates intellectus hic [cognoscit] accidentia et opera, quae omnia causantur ab integrativis principiis, propinqua scilicet rei materia et specifica eiusdem differentia, quae nullus hominum sufficienter cognoscere potest. Et ideo, sicut ignoramus specificam et principalem rei differentiam, ita et ignoramus specificam et principalem rei operationem, quae consequitur eam. Et eodem modo, sicut ignoramus materiam et formam, ex quorum unione, quasi ex coniunctione virtutis masculinae cum feminina, generantur accidentia quae sequuntur. — Appetit enim materia formam ut femina maritum et sicut [h] turpe pulcrum, ut dicit *Philosophus* in fine *primi Physicorum* (2). — Quia, inquam, ignoramus naturam horum principiorum, ideo etiam ignoramus prolem accidentium ex illorum unione genitorum, et sic, ignoratis praedictis principiis, in cognitione subsequentium, scilicet actionum et accidentium, ex maxima parte deficimus.

Ideo his paucis lucis proprietatibus, quae ad praesens se ingerunt, differentias aliquas [addimus], scilicet [de iis proprietatibus quas opera divina] habent tantum ex ipsa lucis natura, in earum prosecutione duo fient [i] in inferioribus: plures enim aliae proprietates lucis, quae in his principalibus continentur implicitae, explicabuntur, ita quod, quamvis non sint nisi paucae in hac primaria positione, erunt plures in prosecutione; secundo autem, si quae habent dubitationem, saltem probabiles reddentur per alicuius rationis additionem.

[a] F dicatur. [b] B *om.* De utris... natura. [c] B *add.* illa, *om.* ex... et. [d] B *add.* sed (?). [e] B *om usque ad cap. 1.* [f] F radix. [g] F quo. [h] F sic. [i] F fiet.

(1) Quoad hanc enumerationem et sequentem expositionem cf. *Prolegomena*, 219.

(2) Cap. 9 (II, 260); *De animalium generatione*, I, c. 2 (III, 320).

[CAPUT PRIMUM]

[Lux divina conciliat contraria]

Est ergo [a] contrariorum conciliativa (1) [b]. Ad cuius declarationem sciendum quod quaedam formae practicae sive activae quae sunt in mentibus artificum, quando debent aliquid agendum movere, primo quaerunt instrumenta artis habilitate suo fini proportionata, et demum, illis applicatis [c] ad materiam, imprimunt quantum valent sibi similia; ut patet de forma cultelli quae est in mente artificis, quam quidem primo intellectus concipit, secundo manus ut habile instrumentum eius explicationi deservit, malleus cudit, et subiecta materia similem illi suscipit [formam] (2).

Per eundem modum intelligendum est quod apud primum motorem sunt omnium formarum generabilium et corruptibilium similitudines idealiter conceptae, quae [d] introduci debent in esse naturali [e]. Cum non fiat hoc [f], secundum ordinem naturae [g], nisi per elementorum mixtionem [h] et conciliationem, ordinat primus motor elementa sibimet contrariantia ad talem amicitiae [i] conciliationem per ea naturae instrumenta, quae huic mixtioni faciendae ex ipsa naturae conditione [k] sunt magis habilia. Quibuscumque ergo naturae instrumentis utitur ad talia complenda [l], hoc ipso scimus ea contrariorum esse conciliativa; quemadmodum etiam hoc ipso quod videmus artem applicare malleum ad domandum, et non incudem aut limam vel clavum, scimus inter haec omnia ipsum solum habere artificialem habilitatem ad huiusmodi [m] actionem. Et similiter, ex hoc quod videmus lucidum oculum lucidorum perceptioni naturaliter institutum, et ipsum instrumentum auris esse ordinatum ad recipiendas passiones aëris, propter [f. 172 b] aërem ipsum [n] quem habet in ipso intrinseco auris timpano naturaliter complantatum (3), scimus unumquodque horum instituto sibi fini naturaliter esse aptum [o]. Quoniam ergo praedictae [p] conciliationi faciendae ars

[a] B *om.* [b] B *sequit.* Quod sic patet: quia sicut formae in mente artificum q. d. ad ag. mov. quaer. instr. proportionabilia et habilia ad finem intentum ab artifice, sicut faber malleum, carpentarius securim. [c] F applicitis (?) [d] F et [e] B Sic per eundem mod. motor primus in se idealiter continet omnes rerum corrupt. et gener. simil. quae cum intr. deb... [f] B h. n. f. [g] B naturaliter. [h] B m. e. [i] B *om.* [k] B c. n. [l] B probanda. [m] F cuius. [n] F *add.* per (?) [o] B *om.* Quemadmodum... esse aptum. [p] B *sequit.* igitur huic conc.

(1) Cf. S. Bonav., *Itiner.*, c. 1, n. 2, V, 300 a; *Breviloquium*, p. 2, c. 3, V, 220 s.; Alex. de Hales, *Summa*, II, n. 356, 433 ab; Avicennam, *De Anima*, p. 3, c. 1, fol. 10 a.

(2) Cf. Alex. de Hales, l. c., II, n. 487, 687 a, ad 3.

(3) Cf. S. Aug., *De Musica*, VI, c. 5, n. 10, Migne, PL. 32, 1169.

summi artificis providit lucidissima caelorum corpora, ex hoc ipso [a] scimus propositum, scilicet quod lucis natura contrariorum est conciliativa.

Praeterea per accidens tale oportet reduci in illud quod sit per se tale ut per aliud (1), et ita per accidens calidum in per se calidum tanquam in suam causam, ut patet cum ab igne calefit aqua et clipeus albatur a cerusa (2). Et inde etiam est quod oportet omnem bonitatem quae est in intellectualibus creaturis reduci in eum qui est per se bonus, sicut in causam. Oportebit ergo illam aliqualem elongationem a contrarietate, quae est in elementis mediante mixtione, reduci, tanquam in suam causam, in aliquid quod sit per se ipsum ab omni contrarietate elevatum, et haec sunt ipsa coelorum corpora, quae ad mixtionem movent elementa (3). Patet ergo quod illa lucidissima corpora sunt contrariorum conciliativa [b].

Sicut autem lux haec [c] conciliat et ad quandam amicitiam reducit illas maioris mundi principales partes, quae ad invicem contrarietatem habent scilicet quattuor elementa, ita etiam lux divina, postquam fuerit in mentem per adventum gratiae recepta, ad amicitiam et conciliationem reducit minoris mundi, scilicet hominis, principales partes, carnem scilicet et spiritum, ad invicem rebellionem [d] ac pugnam habentes. Dico autem quod haec ad conciliationem et amicitiam reducit, dum carnem et spiritum ad serviendum utriusque Creatori concorditer unit.

Circa conciliationem autem istam duo sunt consideranda [e], quibus similia videmus in elementorum conciliatione quam facit lux corporea [f].

Primum est quod [g] nunquam elementa per eam promoventur ad tantam amicitiam, quin semper remaneant immixtae [h] aliquae originalis contrarietatis reliquiae (4) [i]. Et similiter intelligendum est de luce

[a] B *om.* [b] B *om.* Praeterea... conciliativa. [c] B h. l., *deinde* partes mundi princ., scilicet 4 elem., ad concordantiam reducit, ita lux. div. recepta in mente ad concordiam reducit partes minoris mundi, scilicet carn. et spiritum rebellionem prius habentes, quia carnem et spiritum ad serviendum concorditer suo Creator unit. [d] B rebellione. [e] B circa aut. conc. duo s. notanda. [f] B *om.* quibus... corporea [g] B *sequit.* sicut lux materialis elem. concilians nunquam ad tantam deducit amic... [h] B in mixto. [i] B *sequit.* Similiter lux divina nunquam tam unit carnem et spiritum quin...

(1) Hoc innuit Arist., *Physicorum*, II, c, 6 (II, 269); explicite asserit Averroes, VI *Physicor.*, text. 43. Cf. S. Anselmum, *Monologium*, c. 1, Migne, P. L. 158, 145; S. Bonav. II *Sent.*, 638 a, not. 3.

(2) Cf. S. Bonav., II *Sent.*, 321 b, ad 4.

(3) Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d, 16, a. 2, q. 2, II, 630 b; S. Thomam, II *Sent.*, d. 13, q. 1, a. 1.

(4) Not. marg.: « Semper in elementis conciliatis remanet contrarietas habitu vel potentia; sic inter animam et corpus conciliata per gratiam ».

divinae gratiae quae recipitur in anima, quod scilicet nunquam reducit spiritum et carnem ad tantam conciliationem, quin rebellionis primariae [a], quae in primis parentibus incepit et descendit ad cunctos [b] posteros lege naturae genitos [c], semper remaneant aliquae reliquiae, et loquor [d] quantum ad [e] legem communem.

Secundum autem [f] est quod quanto elementa immixta [g] deducuntur ad maiorem conciliationem, tanto illud compositum ordinatur ad recipiendam [h] nobiliorem perfectionem (1), ut [i] per ordinem in omnibus elementis apparet. Et primo in non sentientibus, ut in metallis et in lapidibus. Quia enim in auro nobilior quam in aliis metallis est complexio et magis a contrarietate elongata, et ideo etiam nobilior est perfectio eius ultima. Post hoc ergo quanto in unoquoque aliquorum fuerit mixtio aequalior, tanto in eo erit substantialis perfectio nobilior. Et idem intelligendum est de diversis generibus lapidum. Procedendo autem ulterius idem inveniemus, nam quia plantae adhuc habent magis conciliativam complexionem quam habeant lapides et metalla, ideo recipiunt nobiliorem substantialem perfectionem, formam scilicet vivificantem. Alia autem, quia sunt adhuc in altiori [f. 17 v a] gradu conciliationis, recipiunt altiorem gradum perfectionis, scilicet animae sensibilis. Quoniam autem adhuc in corpore humano est complexio, quantum ad nobilitatem conciliationis, in gradu supremo, ideo et perfectio substantialis, ad quam ordinatum est inter perfectiones alias nobilissimam, rationalis scilicet anima (2).

[k] Ad huius autem similitudinem intelligendum est quod lux divina, per adventum gratiae recepta in anima, quae est carnis et spiritus conciliativa, quanto carnem et spiritum reduxerit ad maiorem conciliationem, concordius et amicabilius uniendo ea ad serviendum suo Creatori, tanto ex hoc totum compositum, carnem scilicet et spitum, praeparat nobiliori perfectioni, quae unicuique pro suis meritis retribuetur in resurrectione communi; ita ut homo ille, cuius corpus et anima servierunt suo Creatori ex maioris caritatis concordia, in illa

[a] B p. r. [b] B *om.* [c] B leg. propagationis. [d] FB liqz° (?). [e] B secundum l. [f] B *om.* [g] B *om.* [h] B *om.* [i] *sequit.:* patet in auro respectu argenti, et in argento respectu cupri, et in animalibus respectu vegetabilium, et in homine respectu animalium. [k] B *conclud.* Per modum consimilem quanto lumen gratiae reducit carnem et spiritum ad maiorem concordiam in servitio Creatoris, tanto ex hoc totum oppositum (sic) recipit nobiliorem perfectionem, quae unicuique pro suis meritis retribuetur in resurrectione communi tam in dotibus corporis quam animae.

(1) Cf. S. Bonav., II, *Sent.*, d. 17, a. 2, q. 3, arg. 1, II, 424 a; supra, p. 3a, c. 1, 356 s.

(2) Cf. S. Bonav. *Breviloq.*, p. 2, c. 4, V, 221 b; *Hexaem.*, col. 1, n. 18, V, 332 b.

resurrectione nobiliori et excellentiori dotetur gloria tam in dotibus corporis, quae sunt claritas et impassibilitas, subtilitas et agilitas (1), quam etiam in dotibus animae, quae consistent in visione, tentione (2) et delectatione.

[CAPUT SECUNDUM]

[Lux divina communicat radios suos]

[a] Ad similitudinem autem alterius proprietatis lucis materialis quae scilicet est radiorum suorum communicativa, intelligendum est quod lux egrediens a sole iustitiae, postquam suscepta est in perspicuo mentis humanae, est suorum spiritualium radiorum communicativa. Micant enim ab [b] intus foras [c] eius radii ad spiritualem illuminationem proximi. Nota [d] tamen quod sicut [e] radios materialis solis, ad hoc quod possint alia illuminare, necesse est incorporari alicui rei materiali, videlicet aëri, [f] ita etiam oportet radios divinae lucis, quae est in mente, ut possint splendorem proprium [g] in alios diffundere, indui aliquando [h] rei sensibili, cum in se ipsis prae sua spiritualitate non possint videri. Micant ergo foras incorporati aliquando sensibili verbo eruditionis, exemplo aedificatoriae conversationis et [i] obsequio fraternae subventionis: cuilibet enim praedictorum operum incorporata est quodammodo relucentia intrinsecorum luminum [k].

Et diligenter hic [l] considera quod lux [m] solis quando transit per aliquam fenestram vitream pulcris coloribus ornatam, simul cum radiis, qui per talem fenestram procedunt ad aliquem locum, deferuntur similitudines eorundem colorum (3), ita ut appareat ille locus consimilibus coloribus exornatus [n]. Et eodem modo lux irradiationis spiritualis, quae egreditur a sole iustitiae, transiens per animam sanctam, quae est in templo Domini quasi fenestra vitrea variorum colorum pulcri-

[a] B *sequit.* Radior. suor. communicativa. Sic lumen egrediens a sole inst. et in perspic. m. hum. recepta (sic) radios suos diffusive communicat. [b] B ad. [c] B foris, *om.* eius. [d] B ita. [e] B *sequit.* ex hoc ut radii sol. mater. illuminent necesse... [f] *sequit.* sic. rad. div. luc. in anima receptos ut poss... [g] B suum splend. [h] F añ (?), *idem infra.* B *post* diffundere *habet vacuum* 1/3 *lin.*, *deinde* sensibili, alicuius scilicet incorporari verbo sensibilis eruditionis. [i] B *om.* [k] B *om.* cuilibet... luminum. [l] B *om.* [m] B *sequit.* solaris transiens per vitream coloratam simili colore depingitur. [n] B *sequit.* Sic sol iustitiae transiens...

(1) Cf. I *ad Cor.*, 15, 42 ss.

(2) Seu possessione = amore. Cf. *Scholiast.* in S. Bonav., IV, 1001 s. et 1007 s.; Scotus, *Oxon.*, 4, d. 49, q. 2, n. 7 ss., ed. Vivès, XXI, 170 ss.

(3) Cf. Roc. Baco, *Multipl. spec.*, II, 409.

tudine picturata [a]. Fenestra quidem est [b], quia per ipsam divina lux ingrediens irradiat intra ecclesiam; [c] vitrea vero est, propter perspicuitatis et claritatis munditiam, sed est diversorum colorum pulcritudine summi pictoris artificio decorata quantum a sponso suo diversarum virtutum varietate est circumamicta. Haec inquam lux in tali anima [d] recepta, dum radios suos foras emittit ad illuminationem proximorum, secum defert foras [e] relucentes imagines intrinsecorum colorum. Transparet enim in [f. 17 v b] affatu, gestu et actu imago quaedam illius naturae virtutis quae viget in affectu. Sicut enim dicit *Dionysius*, in libro [f] *De Divinis Nominibus* (1), *omnia creata suarum causarum congruas habent imagines:* [g] effectus ergo radiosi qui a tali causa sunt emissi secum ferunt congruas imagines ornatus intrinseci, et nituntur eiusdem ornatus colores imprimere omnibus ad quos possunt suis radiis attingere; sicut et lux materialis per talem fenestram ingrediens et colores eiusdem secum deferens, ad quemcumque pervenit locum, quasi similibus coloribus depingit eum. Patet igitur ex his prima (2) operatio quam efficit postquam recepta est in anima, quia videlicet est radiorum suorum communicativa.

[CAPUT TERTIUM]

[Lux divina dirigit operationes humanas]

Ex hac autem prima proprietate sequitur secunda, scilicet quod est deviorum directiva. Praedicti enim radii sic emissi ad proximi utilitatem quid sibi volunt aliud nisi eius directionem? Et quia sic sunt quaedam [h] regula directiva illius, ideo in hoc consistit bonitas proximi quod se conrectificet illorum radiorum rectitudini.

Ad cuius pleniorem intellectum nota generaliter quod bonitas omnium rerum habentium regulam consistit in conformitate sui ad regulae suae rectitudinem, et malitia in opposito, videlicet in obliquatione eius ab illa rectitudine. In hoc enim consistit bonitas religiosi quod conrectificet [i] se suae regulae rectitudini, et malitia in deviando ab ea. In hoc etiam consistit bonitas grammatici et medici: hic tam in loquendo quam in scribendo, et ille in potando se conrectificet rectitudini suarum regularum. Et tunc utriusque opus habebit debitam sibi perfectionem: alterius opus congruitatem, alterius autem sanitatem vel saltem irreprehensibilitatem; quod si ab ipsis deviant in agendo, tunc loquitur non recte grammaticus, et potat non recte medicus, et sic de singulis. Patet igitur quod haec lux per suorum radiorum emissionem sic est deviantium directiva, quod in hoc consistit bonitas et perfectio ipsorum, videlicet quod conrectificent [a] se rectitudini suorum radiorum. Est ergo deviorum directiva et per consequens perfectiva.

[a] B *om.* Domini... picturata. [b] B *om.* quid., *sequit.* per quam radii lucis aeternae ingrediuntur et templum illustrant ecclesiae. [c] B *sequit.* et vitrea est diversarum virtutum coloribus depincta. Haec... [d] B modo. [e] B formas. [f] B *om.* i. l. [g] B *conclud.* patet ergo secunda operatio. [h] F *add.* illius. [i] F cum rectificet.

(1) Cf. supra, p. 1a, c. 4, 337.

(2) De ordine huius expositionis, cf. *Prolegomena*, 219, not. 1.

Hoc autem idem adhuc ostenditur pulcriori via. Sciendum igitur quod in omnibus quae concordantur secundum sub et supra, id quod est superius dirigit inferiora in opus suum et opere facto ab eis utitur [b] postmodum ad finem sibi proprium. Verbi gratia: herbularius, apothecarius et medicus ordinantur ad invicem secundum superius et inferius. Deservit enim herbularius [apothecario] colligendo ei herbas, tanquam superiori et nobiliori; et apothecarius siroppos et electuaria praeparando deservit medico. Medicus autem, sicut [c] superior, dirigit apothecarium in opus suum, ostendendo ei qualiter et quomodo et ex quibus et in qua proportione se hahentibus debeat confectionem aliquam facere. Et apothecarius similiter instruit herbularium quas herbas debeat ei colligere. Sic ergo superior dirigit inferiorem in opus suum, secundo, opere facto ab eo utitur ad finem a se intentum: nam apothecarius herbis ab herbulario collectis [f. 18 r a] utitur ad finem quem intendit, scilicet ad confectionem; confectione autem ab apothecario facta utitur medicus ad finem [d] suum, id est ad curandum corpus humanum (1).

Simile est de nauclero, qui stat cacumine mali navis, et de inferioribus navigatoribus. Ista enim ordinantur praedicto modo, scilicet secundum inferius et superius non tantum quoad secum, sed etiam quoad officium. Ille enim qui superior est respicit rectum portum et viam quae educit ad ipsum, et ex hoc dirigit inferiores in opere suo, id est in remigando, per quam scilicet viam vel ad quam partem debeant navem deducere; secundo vero, opere illorum utitur ad finem suum, quia illorum remigatione utendo pertingit ad portum finaliter intentum.

Ad cuius autem similitudinem intelligendum est spiritualiter quod sub luce divina in mente recepta ordinantur inferiores humanae potentiae et virtutes in eis existentes, sicut sub inspectore qui residet in malo navis ordinantur inferiores remiges. Oculus autem intentionis, illuminatus et clarissimus factus per receptionem huius luminis, aspicit

[a] F conrectificet. [b] F *repetit* utitur. [c] F *repetit* sicut. [d] F *repetit* ad finem.

(1) Eadem comparatio occurrit in 10 quaestione disputata ipsius Bartholomaei. Cf. Longpré, *Bartolomeo di Bologna* etc., l. c., 376.

salubrem portum, ut scilicet omni operi cuiuslibet virtutis praestituat finem rectum. Dico ergo quod primo dirigit unamquamque inferiorum virtutum ut recte exeat in actum suum, et postmodum opere ab unaquaque illarum facto utitur in pertingendo ad finem intentum et praeconceptum, scilicet ad regnum coelorum. Nisi autem praedicta lux, quae sic finem rectum aspicit [a], ad illum finem virtutes inferiores in suis operibus dirigeret, posset esse quod aliqua illarum a rectitudine viae exorbitaret, non recta ratione agendo. Et sic patet qualiter lux divina, per gratiam in mente recepta, sit deviorum directiva [b].

(*Continuabitur*).

P. Irenaeus Squadrani, O. F. M.

---

[a] F *add.* et. [b] B *Caput tertium sic breviter synthetizat:* Deviorum directiva, quod sic patet: nam in omnibus quae ordinantur secundum sub et supra, id quod est superius dirigit inferiora in opus suum. Verbi gratia: herbularius, apothecarius et medicus ita se habent quod apothecarius dirigit herbularium in herbarum collectione, et medicus apothecarium in earum confectione et proportione. Similiter nauclerus in summitate mali dirigit inferiores remiges in opere suo, per quam scilicet viam, ad quem portum pertingere debeant. Sic per lucem in mente receptam ordinantur inferiores vires animae et potentiae. Oculus enim intentionis illustratus et clarificatus per receptionem huius luminis aspicit salubrem portum, ut scilicet animus operi cuilibet virtuti (sic) praestituat finem suum et unamquamque virtutum inferiorum dirigit (sic) in actu suo.

MISCELLANEA

Controversia Lehu - Elter, Lottin circa regulam moralitatis secundum S. Thomam.

Monographiae circa Ethicam naturalem, a Scholasticis modernis scriptae, tam rarae sunt, ut illae paucissimae, quae in lucem prodeunt, maxima cum attentione legi debeant. Illa P. Lehu (1), olim professoris in Collegio Angelico, modo contentioso quidem, famosum problema de regula moralitatis tractat.

Vellem hic paulo fusius hunc librum examinare et quasdam animadversiones proponere.

Problema examinatum est sequens: Ratio est certo certius secundum S. Thomam regula activitatis humanae; sed quid debemus intelligere per hoc verbum: ratio? Quia, ut patet, quaestio ponitur historice relate ad S. Thomam, responsum debet praeberi historice et obiective secundum textus originales et magis authenticos. Tale est problema et talis est methodus P. Lehu. Depositum purum est servandum et proponendum secundum suam veritatem ne quidam lector putet quod illa thesis videatur reponenda inter illas « polémiques insolubles qui encombrent les manuels: l'essence et l'existence... » (p. 251-252).

Quaestio sic sonat: Ratio de qua agitur ut regula (et non norma p. 230) estne forma substantialis hominis (ut volunt Elter et Lottin) vel simpliciter facultas cognoscitiva (pp. 5-11)? Hoc ultimum tenet Lehu, non quidem ex Salmanticensibus (p. 253 nota), sed ex tota 2ª parte *Summae theologicae.* Talis autem interpretatio est secundum verba et secundum mentem Sancti Thomae.

Si verba S. Thomae considerantur sive ubi agit ex professo de hac quaestione (p. 12-22) sive alibi aut in 2ª 2ªe (p. 242-250), ratio de qua agitur, quia deliberat, iudicat, etc.... non est certo forma substantialis, natura hominis, sed potius ratio sensu proprio (p. 34) (2).

---

(1) Lehu, Léonard, O. P., *La Raison règle de la moralité d'après Saint Thomas,* Paris, Librairie Lecoffre, J. Gabalda et Fils, Editeurs, Rue Bonaparte 90, 1930. In-8°, pp. 264 (Fr. 15).

(2) Cf. tamen 1ª, q. 76, a. 1: « Respondeo dicendum quod necesse est dicere quod intellectus, qui est intellectualis operationis principium, sit hu-

illustrare; secundo, sicut medicum efficacissimum cuius est plagas spirituales eorum curare; et tertio [a], sicut iudicem rectissimum, [nam] nisi convertantur [b] ad lucem doctrinae suae et ad medicinam poenitentiae, paratus est ipsos in ignem inferni proicere.

Primo, dico, debent [c] videre Verbum incarnatum sicut doctorem prudentissimum, cuius solius est intellectus eorum illustrare, unde *Isaia* [30, 20-21]: *Oculi tui videbunt praeceptorem et aures tuae audient vocem post tergum monentis. Oculi tui* per fidem illuminati, *videbunt,* id est considerabunt, *praeceptorem tuum,* id est Verbum incarnatum pro hominibus docendis de salute sua, natum [d] *praeceptorem,* id est doctorem, unde parum ante dicit: *non faciet ultra avolare doctorem tuum. Et aures tuae audient vocem post tergum monentis:* ubi ostendit negligentiam multorum in audiendo Verbum de propria salute. Proiecerunt post tergum suum ipsum Verbum, ita quod averterunt vultum suum; sed zelotypa sollicitudo Christi non permittit ipsum cessare de monendo nos ad audiendam doctrinam de salute nostra.

Duo videtur dicere; primum est quanta excellentia lux huius doctrinae praecellit omni doctrinae, quae est ex humano intellectu; secundum est quod impedit nos in receptione lucis doctrinae suae.

Dico quod lux doctrinae huius Verbi praecellit omnem aliam doctrinam, sicut lux solis praecellit lucem unius stellae. Probatio: in genere rerum materialium quattuor sunt lucentia: quaedam enim lucent et non illuminant, sicut vitrum et plumbum, ubi aliquid est perspicuitatis, sed in debilitate refert. — Lucere et illuminare: lucere dicit actum habitum intrinsecum reflexum super proprium [e] subiectum, sed illuminare dicit actum reflexum in aliquid extra. — Alia lucent et illuminant, sicut carbunculi; alia lucent et illuminant et alia illuminata faciunt illuminare, sicut ignis positus in vase cristallino; alia lucent [f], illuminant, alia illuminata illuminare faciunt et sunt sicut fons et principium luminis, a nullo alio lumine recipientes, sicut sol.

Sic est in luce spirituali: quidam homines lucent sed non illuminant, sicut bonus christianus, qui ex parte intellectus habet lucem fidei sine errore conscientiae, et est mundus sine peccati macula, sed non ita profunde intelligit, quod alios illuminare possit. Alii habent fidem claram et conscientiam mundam, et de fide et moribus ita plene sentiunt, quod alios illuminant. Alii ita plene de fide et moribus sentiunt et alios illuminant et ita imbuunt [g], quod ipsos illuminatores aliorum efficiunt, sicut doctores antiqui Gregorius, Ambrosius et huiusmodi. Ulterius quidam lucent, illuminant et alios ita imbuunt, quod ipsos illuminatores aliorum efficiunt, et cum [hoc] est (*sic*) principium omnis luminis intellectualis a nullo recipiens, sicut Dei Filius. Certum

---

[a] A tertium. [b] *Mss.* convertamur. [c] A *add.* clerici. [d] A *sublineat.* [e] A propositum. [f] A *add.* et [g] *Mss. add.* ita.

est quod lucet, quia est lux, unde in *Ioanne* [I, 1, 5]: *Deus lux est et tenebrae non sunt in eo ullae;* item alios illuminat, unde in Ioanne [1, 9]: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* item illuminatos a se facit illustratores aliorum, imbuit eos luce abundanti, sicut apostolos, unde apostolus *Paulus* [*Eph.* 3, 8-9]: *Mihi apostolorum minimo data est gratia haec evangelizare in gentibus et illuminare omnes qui sunt dispensatores* (sic) *sacramenti absconditi in Deo.* Item ipse [a] est fons luminis a nullo alio lumen recipiens neutraliter (*sic*) [b], sed a Patre recipit. Ergo quanto lux solis transcendit lucem stellae, sic lux doctrinae eius transcendit omnem doctrinam quae est ab alio mortali homine (1).

Proh dolor! quid poterimus dicere cum videmus [c] homines doctrinam istius magistri negligere et subicere colla sua mortalibus doctoribus cum laboribus et vigiliis ad servandum eorum praecepta. Aristoteli creditur in logica, Gallieno in medicina et Tullio in rethorica et similiter de aliis; et esset opprobrium alicui quod in grammatica aliquid diceret contra praecepta Prisciani, et in logica contra praecepta Aristotelis et sic de aliis scientiis. Tamen quotiens contra praecepta huius praeceptoris, cuius doctrina est de salute animarum, facitis et non erubescitis! Non damno alias scientias, sed dico quod sicut in doctrina istius magistri est salus aeterna, sic in aliis scientiis superflue investigatis inventa est occasio mortis (2).

Narrat *Hugo* (3) quod Prometheus [d] philosophus superflua et superstitiosa curiositate intentus ascendit montem Calcasum et ibi a vultoribus [e] est devoratus. Et *Valerius Maximus* (4) dicit quod Archimedes, qui fecit librum de quadratura circuli, fuit in civitate quadam inclusus; obsedit rex villam et cepit eam; praecepit quod qui talem inveniret quod eum non interficeret. Venit quidam qui invenit eum sedentem supra circulum [f] in pulvere depictum: petit ubi esset Archimedes et si esset Archimedes parceret ei, alioquin interficeret eum. Dixit ille: rogo ut non disturbes [g] circulum istum. Secundo dicit ei quod diceret ei si esset Archimedes; ille eodem modo respondit ei. Similiter tertio modo, et cum intentus circulo suo nollet ei dicere nomen suum, interfecit eum.

Patet igitur modo quod lux doctrinae istius magistri excellit doctrinam omnium aliorum.

---

[a] A Christus. [b] *Melius:* naturaliter, temporaliter (?) [c] *Mss.* videmur. [d] *Mss.* Tholomaeus. [e] A² vulatilibus. [f] A centrum. [g] A describes.

---

(1) Cf. *De Luce,* p. 2ª, c. 1, 346-349.
(2) Cf. *De Luce,* p. 3ª, c. 3, 363.
(3) Hugo a S. Victore, *Eruditio didascalica,* l. 3, c. 15, Migne, P. L., 176, 775.
(4) *Dictorum factorumque memorabilium,* l. 8, c. 7.

Tertullianus igitur docet matrimonium solvi posse ob bonum continentiae, solvi debere ob bonum paenitentiae et in hoc nihil interest inter eum et alios auctores antiquos (1). Maxima differentia inter *Pastorem* Hermae et Tertullianum est in eo, quod iuxta *Pastorem* etiam peccatum moechiae remittitur, quod iuxta Tertullianum Spiritus remittere quidem potest, sed non vult. Quoad matrimonium ex diversa sententia de effectu paenitentiae sequitur, quod *Pastor* Hermae praecipit, ut vir uxorem propter adulterium dimissam paenitentia acta (ἐάν... μετανοήσῃ ἡ γυνή) recipere debeat, Tertullianus autem talis praecepti mentionem facere non potest (2). Ergo matrimonium propter adulterium solutum de facto irreformabile manet. Si quis tamen propterea Tertullianum amicum eorum haberet, qui matrimonia numerant, turpiter falleretur. Contra suum spiritum errare non potuit. Erravit quidem, at non per defectum, sed per excessum (3). Hinc tamquam passer solitarius antiquitatis christianae contra insolubilitatem matrimonii nullo modo aestimandus est.

Schwaz (Tyrol).

P. Jacobus Delazer, O. F. M.

(1) Cf. Hermas, Mand. IV, 1, 5-9; S. Iustinus, *Apol.* II, c. 2, ed. Rauschen, *Floril. patr.*. 2, Bonnae 1904, 77 s.

(2) De paenitentia secundum Pastorem Hermae nuperrime egit J. Hoh, *Die Busse im Pastor Hermae,* in *Theologische Quartalschrift* (Tübingen), CXI, 1930, 253-288. Quae de duratione paenitentiae actualis (virtutem paenitentiae semper manere debere mirum non est) scribit p. 263 ss. nescio, an assensum mereantur. Cum omni certitudine haec quaestio definiri posse non videtur, quia ex Mand. IV, 1, 7-8 revera tam clarum non est, utrum vir uxorem recipere debeat paenitentia iam accepta an post paenitentiam peractam. Tertullianus pastorem moechorum intellegit de paenitentia iam peracta et peccato moechiae remisso. Hoh scribebat: « Tertullians Auffassung ist uns nicht massgebend. Tertullian will in *de pudicitia,* dass der Ehebrecher lebenslang Busse tue ohne kirchliche Wiederaufnahme mit der Hoffnung auf Gottes Barmherzigkeit, die ihm zugesichert wird. Sein Vorwurf gegen den pastor moechorum zeigt, dass er den Hermas oberflächlich gelesen oder falsch verstanden hat - als ob das παραδέχεσθαι Mand IV, 1, 8 kirchliche Rekonziliation bedeute, davon ist keine Rede. Der Pastor ist tatsächlich strenger als Tertullian, was zukünftige Sünden nach der einen Bussgelenheit betrifft, da ist jeder Bussversuch vergeblich (Mand IV. 3, Vis. II, 2. 5. Sim VI, 2. IX, 14, 2). Quibus assentire non possum. Puto non esse dubitandum Tertullianum verum sensum Pastoris assecutum esse.

(3) De fine matrimonii et de secundo matrimonio plura omni consideratione digna scripsit K. Preysing, *Ehezweck und zweite Ehe bei Athenagoras,* in *Theol. Quartalschrift* (Tübingen), CX, 1929, 85-110.

Tractatus De Luce Fr. Bartholomaei de Bononia

(Continuatio et finis)

[CAPUT QUARTUM]

[Lux divina revelat occulta]

Tertio, est etiam occultorum revelativa. Ad cuius etiam [a] revelationis modum [et] ordinem capiendum, primo considerandum est quae et qualia et quo ordine lux materialis revelat alia.

Sciendum ergo est quod omne corpus lucidum emittit a se radios et lumen dupliciter: principaliter scilicet et secundario. Principale vero lumen et principales radii dicuntur illi qui immediate originantur ab ipso corpore lucido; secundarium vero lumen illud dicitur quod non immediate emittitur ab eo, sed generatur secundario ab ipsis principalibus radiis. Verbi gratia: si radii solis ingrediuntur per aliquod foramen in domum et cadunt super pavimentum vel aliquem alium locum, ibi, id est in illo tantillo spatio in quo feriunt, est tantummodo principale lumen solis recte per principales radios ab ipso sole originatos ad locum illum veniens, et dicitur illud lumem a vulgo sphaera solis. Per consequens tamen illuminatur tota domus, et lumen illud expansum consequenter per alias circumstantis aëris partes dicitur lumen accidentaliter sive secundario a sole veniens (1). Hoc autem habito, sciendum quod quamdiu aliquis fuerit in lumine illo accidentali tantum, impossibile est ei videre corpus illud lucidum quod utriusque huius luminis est fontale principium; sed oportet quod de lumine accidentali veniat ad locum in quo cadunt [f. 18rb] principales radii et ibi, constituto oculo contra viam per quam a corpore lucido orthogonaliter descendunt radii, per illos radios deferentes recte ad oculum speciem corporis lucidi poterit ipsum intueri. Ex quo patet qualiter lux materialis manifestativa sit sui fontalis principii, quia scilicet oportet existentem in lumine accidentali per illud lumen secundarium deduci ad principalem radium, et per eum intueri ipsum corpus lucidum.

[a] F *add.* quid (?).

(1) Cf. Rog. Bac., *Mult. spec.*, II, 464; *Scientia experim.*, II, 200.

De ordine autem quo revelat alia, sciendum est quod quanto aliquid est luci similius, tanto ab ea manifestatur per prius; et quanto aliquid fuerit magis opacum et a lucis participatione remotius (1), tanto ab ea manifestatur posterius. Ratio cuius est quia quanto aliquid est luci similius et eius naturae propinquius, tanto ab ea superveniente fit lucidius; et quanto aliquid est lucidius, tanto est visibilius; et quanto aliquid visibilius, tanto, quantum in se est, fit visui manifestius. Ergo, a primo, quanto aliquid erit luci similius, tanto ab ea manifestatur citius. Unde si in aliquo pariete diversi ponantur colores quorum unus sit albissimus, alius vero minus albus, tertius vero subalbus et sic ordinate, quilibet conscendentium quo posterius fit in ordine, eo minus participet de albedinis claritate. Sed contingat lucem supervenire: primo, quantum in se est, manifestat albissimum, et demum unumquemque aliorum manifestat eatenus prius vel posterius, quatenus ab ipso primo recedit plus vel minus. Iam ergo ex praedictis potest intelligi qualiter et quo ordine sit revelativa [a] et sui originalis principii et etiam cuiuslibet alterius rei.

Ad huius similitudinem intelligendum est in divinis esse unum omnis luminis tam creati quam increati principium, hoc autem dicimus Patrem aeternum (2). Ab hoc autem per viam generationis procedit immediate unus principalis radius qui dicitur ab *Apostolo ad Hebraeos* 1, [3]: *Figura substantiae et splendor gloriae eius,* Dominus scilicet Iesus Christus. Hoc autem luminis fontale principium per ipsum principalem radium, scilicet Iesum Christum, produxit in genere tria secundaria lumina iuxta suum modum contemplativam mentem illuminantia: videlicet librum creaturae, scripturae ac inspirationis internae (3). Si quis ergo conversatur in his luminibus secundariis, videlicet in creaturarum consideratione, scripturarum [b] lectione et mentali contemplatione, et appetit mens eius videre horum omnium luminum fontem ipsum, scilicet Deum Patrem, oportet eum horum secundariorum luminum egredi limitem, et ad hoc esse totum conatum suum ut per haec secundaria lumina, videlicet per creaturas, scripturas et contemplationes internas, manuducatur ad intuendum hunc principalem radium, scilicet Iesum Christum, quo intuito videbit et Patrem suum, ipse enim dicit, *Io.* [14, 9] [c], Philippo idem quaerenti: *Qui vidit me videt et Patrem meum.* Habemus ergo qualiter lux divina, ad similitudinem lucis corporalis, sui originalis principii sit revelativa, quia videlicet, ut sit ad unum dicere, oportet per lumen secundarium accedere

[a] F revelata. [b] F scripturatur. [c] F *parvum vacuum.*

(1) Cf. supra, *Introductio,* 229.
(2) Cf. supra, p. 3a, c. 3, 367.
(3) Cf. S. Bonav., *Itinerar.*, passim; *Hexaemer.*, col. 11, n. 14 ss., V, 386 s.; ib., col. 13, n. 12, 390a.

ad principalem radium, et per ipsum intueri Patrem aeternum, qui omnium horum erat principium.

Aliorum vero eo ordine est manifestativa, qui dictus est de luce corporea [f. 18va]. Tanto enim unamquamque naturam, quantum in se est, manifestat prius vel posterius, quanto per naturae nobilitatem distat ab ea magis vel minus. Verbi gratia: manifestando creaturas universi, quantum in se est, primo manifestat creaturam per nobilitatem sibi propinquissimam, ultimo vero illam quae per ignobilitatem est ab ea remotissimam, videlicet materiam primo-primam. Mediorum autem unumquodque eatenus prius vel posterius, quatenus illi primae fuerit propinquius vel remotius. Et hoc quidem, nihil temere asserendo, sed potius conferendo, monstramus triplici via.

Primo sic: constat quod quanto aliquid est illi increatae luci propinquius, tantum ipsum est apud naturam prius, eadem autem [quae] sunt naturae priora, [sunt] et ipsi intellectui, quantum in se est, notiora. Ergo, a primo, quaecumque sunt luci propinquiora, illa sunt intellectui, quantum in se est, cognoscibiliora. Cum ergo [operationes] activorum sint in patiente iuxta suam dispositionem, et quidquid est in aliquo sit in eo secundum conditionem recipientis (1), fuit intellectui haec manifestatio a luce prima secundum quod exiget ipsius intellectus natura. Sed haec est intellectus conditio, ut iam ostensum est, quod scilicet illa sunt ei ad intelligendum, quantum in se est, habiliora, quae ipsi primae luci sunt propinquiora. Igitur lux illa tanto aliquid revelabit ei prius vel posterius, quanto sibi fuerit propinquius vel ab ea remotius.

Secunda via est haec: Certum est quod quanto aliquid plus habet de entitate, tanto plus habet de veritate, cum ens et verum convertantur et, sicut dicit *Philosophus* in *secundo Metaphysicae* (2), *sicut aliquid se habet ad esse, ita se habet ad verum;* cum etiam dicat *Augustinus* (3) quod *verum est id quod est,* et *Avicenna* in sua *Metaphysica* (4) quod *veritas uniuscuiusque rei est proprietas esse sui quod stabilitum [est] ei;* quod etiam dicit *Philosophus* in libro *Secretorum* (5) ad magnum Alexandrum discipulum suum. Quanto ergo aliquid plus habet de entitate, tanto plus habet de veritate; quanto autem aliquid plus habet de veritate, tanto plus habet, quantum in se est, de cognoscibilitate; et quanto aliquid est intellectui hoc modo cognoscibilius, tanto est ei

(1) *Lib. de causis,* par. 9, ed. Bardenhewer, 174; cf. supra, p. 3a, c. 3, 362.
(2) In *secundo* non inveni; cf. lib. I, lect. brevior, c. 1 (II, 486); cf. S. Bonav., *Hexaemer.*, col. 1, n. 23, V, 331b, not. 7.
(3) *Solil.*, l. 2, c. 5, Migne P. L., 32, 889.
(4) Tract. 8, c. 6, Venetiis 1550, fol. 100ra: « Veritas enim uniuscuiusque rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei ».
(5) Pseudo-Arist. Indicationes circa huius operis versiones ac editiones praebet De Wulf, *Hist. de la Phil. Méd.*, I, Louvain 1924, 69.

ad cognoscendum facilius. Ergo, a primo, illa quae plus habent de entitate cognoscibilia sunt ab intellectu sub maiori facilitate. Illa autem quae plus habent de entitate sunt ea quae plus participant de actualitate et remotiora sunt a potentialitate; quaecumque autem actualitatem participant plenius, certum est quod sunt appropinquiora illi primae luci, quae est actus primus et purus. Ergo, a primo, patet quod illa essent intellectui, quantum in se est, ad videndum nobiliora, quae primae luci erunt similiora. Cum ergo, ut habitum est, revelatio futura sit secundum exigentiam intellectus, tanto aliquid ab illa luce manifestabitur ei prius vel posterius, quanto eidem fuerit propinquius vel remotius. Et sic habetur id quod prius.

Tertia via haec: Planum est quod in genere cuiuslibet naturae oportet ponere unum supremum et unum infimum et multa media, et quia hoc est nobilissimum principium ad sciendum, ideo eius veritas [f. 18vb] aliqualiter aperiatur, ut quo intellectus eam viderit limpidius, eo in ipsa delectetur sapidius. Sciendum ergo est quod, sicut dicit *Commentator* (1) super librum *De Angelica Hierarchia,* libro primo, capitulo secundo, si omnia essent aequalia, summe pulcra non essent simul omnia (2), et ideo nullius rei natura participatur a suis suppositis aequalitate [a] omnimoda, nec est possibile, ut dicit *Damascenus* in sua *Logica* (3), invenire in aliqua natura duo particularia omnino similia, cuius ratio valde elegans et profunda in libro *De Ortu Scientiarum* (4) redditur, sed hic omittitur [b] brevitatis gratia. Quoniam etiam oportet omnia esse ordinata et in se et in alia, ut dicit *Philosophus,* in undecimo *Primae Philosophiae* (5), *et ordo,* ut *Augustinus* dicit, in libro *De Civitate Dei* (6), *est parium dispariumque sua quibusque* [c] *tribuens loca dispositio,* ideo, exigente ordinis natura, oportet

[a] F a qualitate. [b] F obmittitur. [c] *repetit* sua.

(1) Cf. *Prolegomena,* 222, not. 5. Rogerius Marston, O. F. M., uti commentatorem per antonomasiam Pseudo-Dionysii citat Robertum Grossatestam seu Lincolniensem; cf. *Quaestiones Disputatae,* ad Claras Aquas 1932, LI, 159, 296 et alibi.

(2) Cf. S. August., *83 Quaest.,* q. 41, Migne, P. L., 40, 27.

(3) Seu *Dialectica,* c. 12, Migne, P. G. 94, 574.

(4) Alfarabi, ed. Baeumker (*Beiträge,* XIX, 3), Münster i. W. 1916. Cum totum libellum iterato etiam legissem, « ratio elegans et profunda » cui hic Barthol. innuit, mihi non occurrit, nisi forsitan haec ratio desumatur ex facto quod substantia et accidens [= tota natura] susceperunt multiplicem divisionem et multam diversitatem partium quarum unicuique accidit figurari aliqua figura et disponi aliquo modo (l. c. 17 s.).

(5) C. 10 (II, 609).

(6) L. XIX, c. 13, Migne, P. L., 41, 640: « Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca distribuens dispositio ». Cf. Alex. de Hales, *Summa,* II, n. 86.

cuiuslibet rei naturam participari a suis individuis in graduum imparilitate et differentia. Et quia neque in ascendendo valet, [neque] in descendendo per hos gradus contingit naturam in infinitum procedere, quia, ut dicit *Philosophus,* in secundo *De Anima,* capite *de vegetativa potentia* (1), omnium constantium terminus est natura et ratio diminutionis et augmenti. Ideo procedendo in sursum oportet ponere unum limitem [a] supremum, et hoc est illud in quo invenitur prima illius naturae consummata ratio, ut in genere liquorum aqua, et in genere aridorum elementaris terra et pura, in qua est summa ariditatis natura. Oportet etiam in descendendo ponere unum extremum infimum, et hoc est illud in quo, per oppositum, praedicta naturae participatio invenitur debilissima. Et sic habetur ratio ponendi in omni natura duo extrema (2).

Sed quia oportet omnia universi extrema colligari per media, sicut intelligitur ex *Catena Aurea* (3) quam descripserunt philosophi, ideo oportet inter praedicta duo extrema ponere diversa media. Si quis autem quaerat quare ad colligationem horum extremorum non sufficiat tantum unum medium, dici forsan potest quod diversitas mediorum causatur ex diversa participatione extremorum. Quia ergo non est tantum unus modus participandi naturam extremorum, ideo non est tantum unum medium. Diversitas ergo participandi naturas extremorum causat inter praedicta extrema multitudinem mediorum; et sic patet aliqualiter ratio declarans necessitatem quarumlibet partium positarum in dicto superius principio.

Cum ergo, ut praedictum fuerat, oportet in genere cuiuslibet naturae ponere unum supremum etc., ideo sciendum quod, sicut in genere visibilium oportet ponere unum supremum, et hoc est lux ipsa in qua, primo, ratio visibilitatis invenitur perfecta, quae etiam sola videtur per se ipsam et omnia alia videntur per eam, eo tamen prius vel posterius, quo assimilantur [b] ei magis vel minus, ut patet ex dictis superius (4); ita etiam in genere intelligibilium oportet ponere unum intelligibile summum in quo quidem, primo, inveniatur perfecta intelligibilitatis ratio, [quae etiam sola intelligitur per seipsam et omnia alia intelliguntur per eam], et ipsum tamen eatenus prius vel posterius, quatenus illi appropinquant plus vel minus. Hoc autem intelligibile summum et primum est ipse Deus.

[a] F limpidem. [b] F assimilatur.

(1) C. 4 (III, 449).

(2) S. Bonav., II *Sent.,* 21, not. 3: « Ubicumque est ordo ibi est ratio primi et ultimi ».

(3) Cf. Rog. Marston, o. c., q. 4 [De Anima], 297 s.

(4) Cf. supra, *Introductio,* 229.

Ratio cuius est ista: quia videlicet si aliqua fiunt intelligibilia per expoliationem sui a materia [a], in illo tantum invenietur ratio intelligibilitatis perfecta quod per seipsum summe et perfectissime [f. 19ra] est separatum ab omni materia. Et quia nil tale dari [b] contingit praeter Deum, ideo secundum hoc ipse est intelligibile summum et primum. Et sicut lux sensibilis est visibilis per seipsam et facit videri alia, ita etiam ipse, quantum in se est, intelligibilis est ex sua ipsius natura et consequenter facit intelligi omnia alia, hoc tamen salvo ordine, quod scilicet tanto aliqua prius, quanto approximant ei amplius, quia quanto aliqua plus approximant ei quod est supremum in aliquo genere, tanto plus participant de eius conditione.

Patet igitur his tribus viis quo ordine et quo modo, ad similitudinem lucis corporalis, ipsa lux divina sui et aliorum sit, quantum in se est, revelativa. Videtur enim, secundum praedicta, quod primo revelat seipsam, demum ordinate singula, secundum quod sunt magis scibilia. Sunt autem, ut dictum est, magis scibilia, secundum quod sunt apud naturam priora; et sunt apud naturam priora, secundum quod sunt magis de actualitate participantia; et quanto hoc plus habent, tunc sunt primae luci et primo actui propinquiora. Cum ergo omnia sint aut intelligentia, aut sentientia, aut viventia, aut simpliciter entia, primo forte post primam lucem cognoscemus substantias intellectivas, et inter eas tanto aliquas prius vel posterius, quanto naturam actualitatis participant plus vel minus. Deinde sensitivas sub eodem ordine, deinde viventia sub eadem ratione, postremo autem simpliciter entia.

Nunc enim quamdiu sumus in via cognitio nostra incipit quasi e contrario, scilicet ab iis quae sunt sensitivis notiora et priora, et terminatur ad ea quae apud naturam et [c] intellectum sunt priora et notiora (1). Tunc autem, dominante luce in intellectu, erit forsitan e contra, ut scilicet incipiat cognitio nostra ab iis quae apud naturam et intellectum sunt priora, et ad ea terminetur quae eisdem sunt posteriora, ut sic characterizetur in pupilla intellectualis oculi, sub debito cognoscendi ordine, forma totius universi a charactere exemplaris productivi. Ratio cuius esse potest quia omnia obiecta in cognoscitivis potentiis sibi proportionatis relinquunt similitudines suas, sicut ponit exemplum *Philosophus,* in secundo *De Anima* (2), de anulo aureo et cera, qui, impressus ei, licet nihil ibi relinquat de sua substantia, relinquit tamen ibi similitudinem suam (3). Ergo character aeternus, in quo relucet idealiter totum universum, intellectivae potentiae, quasi

[a] F natura. [b] F dare. [c] F. etiam.

(1) Cf. Rog. Baco, *Opus Maius,* VI, c. 3, ed. Bridges, I, 105: *Opus Tertium,* c. 22, ed. Brewer, 69; *Compendium Studii,* ed. Brewer, 405.
(2) C. 12 (III, 460).
(3) Cf. Rog. Baco, *Multipl. spec.*, II, 432.

sibi principaliter proportionatae, imprimet illius universi quondam consimile vestigium. Et nota quod quando sigillum applicatur cerae, illud in ea imprimitur prius quod in eo apparet evidentius: quanto enim aliquod est in eo prominentius, tanto suam similitudinem cerae imprimit citius et profundius. Et similiter quando aliquod obiectum alicui potentiae ad cognoscendum obicitur, illud a cognoscitiva potentia perpenditur prius quod in obiecto existit evidentius: quare non similiter ideale universum, quod intellectui [a] humano erit obiectum, tanto in ipso intellectu imprimet aliquod prius vel posterius, quanto in ipso obiecto intellectus erit evidentius et cognoscibilius? In uno videtur quod sic erit. Et hic est iste ordo qui iam toties dictus est, quo scilicet lux illa divina sui et aliorum [f. 19rb] erit in patria manifestativa.

De iis autem quorum revelativa est in via, facile est cuilibet cogitare multa: detegit enim viatori fallacitatem [b] sophismatum diabolicorum (1), occultas differentias virtutum et vitiorum, praemonstrat evasiones imminentium periculorum, aperit sensum ad veram intelligentiam scripturarum. Sic etiam lux materialis omnibus his aliqua similia facit: nam ipsa detegit decipulas materialium laqueorum, discernere facit inter vias nitidas et vias immunditiarum, praecaveri facit a longe pericula imminentium gravaminum et confortat illud debile lumen quod est visui complantatum (2), ut eius auxilio intueri possit limpide conditiones rerum visarum et auditarum, sicut et lux divina confortat debile lumen quod mentali oculo est ingenitum veram ad intelligentiam scripturarum [c].

[a] F intellectu. [b] F fallacitas. [c] B *huius capitis haec tantum habet:* Occultorum revelativa. Circa quod notandum quod a corpore luminoso duplex causatur lumen: principale, quod fit per directam radiorum incidentiam ad corpus solidum; secundarium, quod fit per diffusionem sui ex tali factam. Verbi gratia: Si radius solis intrat per fenestram in domum ad parietes, hoc est principale lumen, secundarium vero est refulgentia totius domus. Ex hoc ulterius nota quod homo existens in luce secundaria impossibile est quod videat corpus a quo procedunt radii, nisi ponat se in directa incidentia radiorum. Tamen per lumen secundarium in quo est manuducitur ad videndam et cognoscendam incidentiam luminis principale (*sic*), et per consequens ad videndum luminosum in se. Sic intelligendum est in divinis. Pater enim est lux primaria a qua emanat omne lumen tam creatum quam increatum. Ab illa enim luce per viam generationis procedit immediate unus principalis radius qui ab apostolo, Hebraeos 1, dicitur splendor gloriae (?), scilicet Filius Dei Christus Iesus. Et per istum principalem radium produxit in genere tria secundaria lumina, scilicet librum scripturae, creaturae ac inspirationis internae. Si quis ergo constituatur in istis luminibus secundariis,

(1) Cf. S. Bonav., *Hexaemer.*, col. 1, n. 26, V. 333 s.
(2) Cf. supra *Introductio,* 229.

[CAPUT QUINTUM]

[Divina lux animam perficit ac decorat]

Est etiam lux corporea, IV loco [a], deformium rerum decorativa. Fit autem huius decoris augmentum in substantia lucis receptum [b] ad praesens V modis [c], videlicet: per frequentem subiecti tersionem: huius exemplum patet in [d] quolibet metallo polito et terso, ut est videre in ense imbrunito; per [e] vehementem subiecti inflammationem, ut probatur experimento artis vitrariae, qua per fortissimam ignitionem de aliquibus cineribus vitri lucida substantia educitur [f] (1); per obnubilativi prohibitionem, quod patet in aëre, qui eo amplius lumine solis decoratur, quo magis a nubilum opacitate depuratur; per subiecti versus caelum sublimationem [g]: quanto enim lucis subiectum magis exaltatur versus caelum, tanto, ceteris paribus, lucis natura decorat ipsum [h]. Abundantius enim decoratur a luce ipsum [i] empyreum quam cristallinum (2), et cristallinum [k] quam stellatum. Per [l] maiorem in eo lucis aggregationem, ut patet in sole respectu aliarum [m] stellarum, et in aliis [n] stellis respectu aliarum partium orbis.

Ad huius etiam similitudinem lux divina [o] postquam in animam sanctam est [q] recepta, faciei eius est decorativa et augmentatur spiritualis eius decor, ad similitudinem praecedentium modorum, 5 modis spiritualiter intellectis. Scilicet per vehementem animae tersionem:

---

in scripturarum lectione et creaturarum consideratione, in mentali contemplatione, et appetit mens eius videre omnium horum luminum factorem, oportet eum horum secundariorum luminum limitem egredi ad contuendum principalem radium, scilicet Christum Iesum, quo intuitu videbit Patrem. Ioannes, dixit Dominus: Philippe, qui videt me videt et Patrem. Sic ergo patet quomodo lux divina per modum luminis materialis detegit decipulas laqueorum, ostendit etiam vias nitidas et vias immunditiarum, praecavet etiam a longe pericula imminentium gravaminum, confortat in unum debile visui copulatum. Sic lux divina revelat fallacias daemonum, ostendit differentias virtutum et vitiorum, demonstrat evasiones periculorum, aperit etiam sensum ad veram intelligentiam scripturarum. [a] B *om.* Est... loco. [b] receptam. [c] huius aut. dec. aug. fit V mod. [d] B *sequit.* met. et gemmis et aliis quae poliri solent; per... [e] B *om.* [f] educit. luc. sub. vitri de cineribus *sequit.* depurgationem et subtiliationem ut patet... qui per maiorem depurationem a vaporibus magis perlustratur et per consequens decoratur. [g] B p. sub. elevationem v. c. *sequit.* quia quanto aliquid m. elevatur versus... [h] B i. d. [i] B *om.* [k] B illud, *add.* magis. [l] B *om.* [m] B *om.* [n] B. *om.* [o] B. d. l. [p] B *sequit* r. e. ipsam faciem eius decorat et aug. in ea dec. sp.

---

(1) Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, a. 2, q. 2, II, 321a.

(2) Seu *Aqueum*, cf. Rog. Baco, *Perspectiva*, II, 63 s.

quanto enim ab ipsa macula peccatorum studiosius absterguntur, tanto a luce illa pulcrius decoratur [a]. Per vehementem divini ardoris [b] inflammationem [c]: quanto enim fortius illo amore ignitur, tanto amplius ab ipsa luce venustatur. Per obnubilativi [d] prohibitionem: quia quanto [e] ab illis vaporibus obnubilativis, qui, excitata tempestate a brutalibus potentiis, elevantur de mari impii cordis (1), magis prohibetur perspicacitas intellectivae partis, tanto clarius irradiatur splendoribus intellectualis solis. Per ipsius animae versus caelum sublimationem [f]: eo quod quanto per caeleste desiderium plus caelestibus approximat et attentius seipsam elevat, tanto divina lux eam magis pulcrificat. Per maiorem in ea lucis huius aggregationem: quia quanto frequentius ad re[f. 19 v r]ceptionem divini radii exercet seipsum intellectualis oculus, tanto ab illa [g] luce copiosius recepta pulcrificatur amplius.

[CAPUT SEXTUM]

[Lux divina confuse simul ac distincte radios suos emittit]

Ulterius ipsa lux corporea est [h] radiorum suorum partim confuse, partim distincte productiva. Ad cuius evidentiam notandum quod omne luminare emittit radios suos duobus modis distincte et duobus aliis confuse [i]. Distincte quidem emittit eos [k] et quantum ad ipsius luminaris imitationem [l] et quantum ad fontalis principii originationem. Confuse autem emittit eos et quantum ad humani sensus comprehensionem et quantum ad spatii communem illustrationem.

Dico ergo quod emittit eos, primo, distincte quantum ad ipsius luminaris imitationem. Sicut enim docet *Dionysius*, in libro *De Divinis Nominibus* (2), c. 11, si accendantur multa luminaria in domo

---

[a] B *om.* ad similit... decoratur. [b] B amoris. [c] B *sequit.* quo quanto penetratur tanto decorius magis efficitur: exemplum e carbone ignito, Per... [d] B nubium. [e] B *sequit.* anima magis a cogitationum vaporibus ex sensuum magna tempestate generatos et a mundi curis absolvitur, tanto magis a luce decoratur. Per ips... [f] B. *add.* et conversionem, *conclud.* et hoc per desiderium et mediationem caelestium gaudiorum, divinorum beneficiorum, et illud per maiorem in ea lucis internae aggregationem, et hoc per iuge exercitium in devotione et oratione. [g] F illo. [h] B *om.* Ult... est. [i] B *om.* Ad... confuse. [k] F eam B quid. duobus modis scilicet quant... [l] B *sequit.* nam secundum Dionysium. De D. N. si...

---

(1) Cf. supra, p. 3a, c. 3, 365.

(2) N. 4, Migne, P. G., 3, 642; F habet c. VII, sed erronee. Cf. S. Bonav., *II Sent.*, d. 13, a. 3, q. 2, ad 3 et 4, II, 329b; S. Thomam, *II Sent.*, q. 1, a. 3, ad 2.

una, quamvis [a] omnium luminarium radii in spatio quod illuminatur [b] ab eis sint omnes aliquo modo permixti, tamen ita [c] aliquo modo manent distincti quod [d] quodlibet illorum luminarium de domo extracto [e], suos tantum radios post se [f] trahit et illos tantum extra domum secum asportat [g] quos in domo generabat. Habent ergo radii a diversis luminaribus in eodem spatio geniti ad invicem distinctionem quantum ad primum, scilicet quantum ad sui luminaris imitationem [h].

Generantur et distincte quantum ad suorum principiorum [i] originationes. Quoniam, sicut supra dictum est ([1]), a quolibet puncto sensibili cuiuslibet corporis lucidi egreditur radius deferens speciem lucis, et egreditur per modum lineae cuiuslibet imaginabilis; sicut ergo differt luminare a luminari, et [k] iterum, et in qualibet luminari pars minima, quae est radii generativa, ab aliqua consimili particula, sic differunt radii unius luminaris a radiis alterius, et iterum in quolibet luminari differt principium unius radii a principio alterius. Distinguuntur ergo quantum ad secundum scilicet quantum ad suorum principiorum origines.

Indistincte [l] autem producuntur radii a quolibet luminari quantum ad alia duo, videlicet quantum ad humani sensus comprehensionem [m] et quantum ad communem spatii illuminationem. Quantum ergo ad primum, sunt indistincti quia si multa luminaria sunt in domo, licet quodlibet emittat proprios radios, non tamen est possibile discernere alicui qui radii et a quo proprie generentur luminari. Et sic emittuntur in medio indistinguibiliter et indiscernibiliter quoad sensum hominum. Emittuntur etiam indistincte quantum [n] ad secundum, videlicet quantum ad communem totius spatii illustrationem. Nullum enim illorum luminarium [o] appropriat radios suos ad [p] illuminandam tantum illam particulam spatii quae est propinqua sibi, nec etiam alicui alteri, sed in totum diffundit lumen suum, quod dico, supposito quod sic proportionetur spatium cuibet istorum luminarium, et a quolibet

[a] B *sequit.* quamv. omnes radii in medio aliquo modo sint perm... [b] F illuminant. [c] B *om.* [d] B quia. [e] B ex. de d. [f] F posse (?) [g] B *sequit.* et exportat secum quos... [h] B *om.* Hab... imit. *sequit.* Secundo quantum... [i] B *sequit.* originem, quia sicut differt... [k] B *sequit.* per consequens radius unius lum. a radio alt. Sic quilibet punctus sensibilis eiusdem luminaris et ab alio puncto eiusdem luminaris, et per consequens radius unius puncti imaginabilis a radio alterius puncti, et sic distinguuntur penes origines. [l] B *sequit.* et confuse similiter duobus modis videl... [m] B *sequitur:* quia multis luminaribus in domo existentibus et radios emittentibus non est possibile discernere qui radii a quo luminari procedant, quia omnes indistincte emittuntur in medium. Quant. ad com... [n] F *repetit* quantum. [o] B radiorum. [p] B *sequit.* illud, alter alteri, sed ad totum spatium et ad omnes partes suas diffundit radios suos quantum est de se.

([1]) Cf. supra, p. 1, c. 1, 230 s.

per se possit illuminari totum. Patet ergo quod indistincte et inappropriate emittuntur radii ad communem illuminationem totius spatii et sic in[f. 19vb] distincte generatur quoad secundum.

[a] Similiter intelligendum est quod radii spirituales procedentes a sole iustitiae et recepti per gratiam in mente, quando micant ab anima foras ad proximum, sicut faciunt corporaliter radii luminis quod est in vitro vel in alabastro inclusum, tunc, inquam, emittuntur duobus modis distincte, sive radii illi sint ipsa radiosa [b] opera instructarum locutionum, sive sint aedificativarum operationum.

[c] Distincte enim oportet produci huiusmodi opera, primo, quantum ad fontalis principii originationem, et postea sunt distincta quantum ad sui luminaris, id est ipsius facientis imitationem. Quantum enim ad principia suarum originum oportet ea esse distincta, quia oportet quemlibet volentem [d] huiusmodi radiosos effectus producere in [e] domo ecclesia intra [f] se ipsa propria [principia] huiusmodi operum habere. Generalis enim regula est quod ubi propria eliciuntur opera [g], necesse [est] propria illorum operum haberi principia; licet enim vegetabilia generentur, nutriantur et augmentantur communiter cum animalibus, non tamen possunt videre vel audire, odorare et gustare, eo quod non habent id quod est proprium principium huiusmodi operum elicitivum, scilicet animam sensitivam. Ulterius quia homo debebat [h] habere opera rationabilia, nec ad haec elicienda sufficiebat vegetabilis vel sensibilis anima, ideo homini superaddi [oportuit] illud quod est proprium principium huiusmodi operum, scilicet animam intellectivam [i]. Si quis ergo vult elicere huiusmodi radiosa [k] et illuminativa opera, necesse est praehabere propria et distincta huiusmodi [l] operum principia, quae sunt propriae et distinctae virtutes quas habet intra se cum propria sibi gratia. Et sic oportet esse distincta opera huius irradiationis quantum ad distincta principia suae originis [m].

[n] Secundo sunt distincta huiusmodi opera quantum ad imitationem [o] ipsius luminaris, id est quantum ad sequelam ipsius facientis. Licet enim [p] qui facit [q] talia emittit huiusmodi radiosos effectus cum aliis luminaribus, id est cum aliis benefacientibus communiter in militante ecclesia [r], tamen cum de hac subtrahitur et [s] ad triumphantem [t]

[a] B *sequit.* Consimili modo radii spirituales solis iustitiae in anima recepti micant foras ad proximum ad modum candelae in vitro vel alabastro. Tunc (?) autem hoc distincte duobus modis; sive enim rad. il. dicantur rad. op. instructionis s. aedificatoriae perfectionis [b] F radios. [c] B. *sequit.* Micant quidem distincte quant. ad princ. s. orig. quia oportet... [d] B voluntarie. [e] B *sequit.* Ecclesia int. se huius propria opera habere... [f] F inter. [g] B *sequit.* propria habere principia (?) [h] F. debeat. [i] B *om.* licet... intellectivam· [k] B. rad. lucis opera... [l] illorum. [m] B *om.* quae sunt... originis. [n] B *sequit.* oportet secundo ea opera esse distincta quant... [o] B *sequit.* sui luminaris licet... [p] F *om.* [q] B *sequit.* opera lucis emittat rad... [r] B. e m. [s] B *om.* sub. et. [t] B *add.* ecclesiam.

portatur, propter spei auxilium quod contrahit ab illis [a], dicuntur haec radiosa eius opera sequi ipsum, *Apocalypsis* [14, 13]: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo enim iam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* [b] Radii ergo bonorum operum, qui emittuntur a luce divina postquam fuerit in mente recepta, ad similitudinem lucis corporalis distinguuntur duobus modis, videlicet quantum ad fontalis principii originationem et quantum ad sui luminaris imitationem.

Debent etiam produci praedicta opera duobus modis indistincte [c], scilicet quantum ad humani sensus [d] comprehensionem et quantum ad communem totius ecclesiasticae domus illuminationem. Indistincte ergo debent produci quantum ad humani sensus comprehensionem, quoniam quantumcumque producat quis fulgida in ecclesia Dei opera, quantum in se est, sic debet ea producere ut non velit inde in conspectum hominum singulariter apparere. Debet autem sic circumferre illa sicut defertur [e] lumen in laterna quod pro debito modo revelatur, ita quod [f] et ipsi deferenti et etiam [g] aliis iter demonstrat rectum [h], et tamen venti non timet periculum.

[i] Secundo etiam producuntur indistincte quantum ad totius [f. 20 r a] ecclesiasticae domus illuminationem. Non enim solum facienti prosunt, sed etiam omnibus membris vivis quae secum in eodem corpore ecclesiastico sunt, sicut et os non tantum sibi comedit, sed etiam omni membro quod secum in eodem corpore vivit. Quod si est in eo membrum aliquod vita penitus destitutum, propter suam ineptitudinem non communicatur ei sumptum a corpore nutrimentum. Probabile autem videtur quod fiat a Spiritu Sancto huiusmodi distributio in membris corporis ecclesiastici ad similitudinem eius quae fit in membris corporis physici, cum unum valde proportionetur alteri, ut ostendit *Apostolus* (1).

In distributione autem nutrimenti [k] quae fit in corpore naturali duo attendit iustissima naturae industria, scilicet quantitatem et qualitatem. Quantitatem autem quia in maiori quantitate dat brachio quam manui, et manui quam digito. Simile est de qualitate; nam purior est illa nutrimenti particula quae transmittitur ad nutrimentum et augmentum oculorum, quam quae mittitur ad nutrimentum et augmentum ossium. Huius autem qualitatis conditio existit ad praesens in tribus,

[a] B *sequit.* debent ipsum sequi radiosa opera sua. Apoc... [b] B *conclud.* Sic ergo radii bon. op. duobus modis distinguuntur. [c] B *sequit.* Indistincte etiam producuntur duobus modis scil... [d] B *sequit.* apprehensionem quia quant. quis in Eccl. prod. op. lucida, quant... [e] B circumfertur F differtur. [f] B *om.* i. q. [g] B *om.* [h] B *om.* [i] B *om.* usque ad cap. 7. [k] F instrumenti.

(1) Rom. 12, 4-6.

scilicet in puritate, ut tactum est, in virtuositate et complexione, ut puta, in caliditate, frigiditate, siccitate, humiditate, igneitate, aquositate. Ut enim iam tactum est, oculis tribuit substantiam puriorem, ossibus terrestriorem, membris magis laborantibus ac maiori fortitudine indigentibus transmittit partem virtuosiorem, in qua scilicet plus est de virtuositate, de spiritibus et de calore.

Ad huius similitudinem intelligendum est quod Spiritus Sanctus distribuendo bona quae sunt corpori ecclesiae communia, unicuique membro distribuit et quantum ad quantitatem et quantum ad qualitatem secundum quod conditio eius exigit. Membris igitur plus laborantibus ac maiori fortitudine indigentibus, ut videtur, plus, dum aliud non obsistat, distribuit de dono fortitudinis. Aliis membris quae sunt quasi oculi, ut praedicatoribus et doctoribus, plus de dono sapientiae et intellectus. Et sic de aliis per simile poterit quis de facili circa hanc materiam plura invenire.

[CAPUT SEPTIMUM]

[Lux divina super humiles radios suos multiplicat]

Ulterius ipsa lux quanto aliquid est magis imum [eo magis] radios suos super illud multiplicat. Ad cuius evidentiam est notandum quod mundus, secundum quod componitur ex sphaeris elementorum et caelorum seipsas includentium, est quasi quidam magnus circulus inter quem multi alii sunt ordinati, ita quod quanto aliquis propinquior est circulo circumferentiali, tanto ab eo plures sunt inclusi. Si quis autem ex exterioribus circulis protrahat lineas usque ad centrum, quanto aliquis circulus erit inferior, quanto [a] etiam centro vicinior, tanto concursus praedictarum linearum erit super ipsum aggregatior, sicut patet in hac figura [b] [f. 20 r b].

Ad huius autem similitudinem intelligendum est quod postquam mundus consideratur ut circulus magnus ex circulis elementorum et caelorum seipsos involventium compositus, lineae radiorum prodeuntium a stellis et planetis et transeuntium per perspicuum caelorum et elementorum, protrahuntur usque ad centrum terrae, et ad similitudinem praedicti circuli, quanto sphaera alicuius caeli vel elementi terrae est propinquior, tanto concursus radiorum super eius corpore erit aggregatior [c].

Ratio cuius [d] est quia quanto magis a circumferentia versus centrum proceditur, tanto magis spatium angustatur, de radiis autem nullus minuitur et ideo necesse est ut, diminuta spatii quantitate et

[a] F tanto (?) [b] *loco figurae vacuum* 1/4 *col.* [c] B *ab initio capitis:* Superiora sunt magis radiorum suorum multiplicativa (?) [d] B. C. r.

portatur, propter spei auxilium quod contrahit ab illis [a], dicuntur haec radiosa eius opera sequi ipsum, *Apocalypsis* [14, 13]: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo enim iam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* [b] Radii ergo bonorum operum, qui emittuntur a luce divina postquam fuerit in mente recepta, ad similitudinem lucis corporalis distinguuntur duobus modis, videlicet quantum ad fontalis principii originationem et quantum ad sui luminaris imitationem.

Debent etiam produci praedicta opera duobus modis indistincte [c], scilicet quantum ad humani sensus [d] comprehensionem et quantum ad communem totius ecclesiasticae domus illuminationem. Indistincte ergo debent produci quantum ad humani sensus comprehensionem, quoniam quantumcumque producat quis fulgida in ecclesia Dei opera, quantum in se est, sic debet ea producere ut non velit inde in conspectum hominum singulariter apparere. Debet autem sic circumferre illa sicut defertur [e] lumen in laterna quod pro debito modo revelatur, ita quod [f] et ipsi deferenti et etiam [g] aliis iter demonstrat rectum [h], et tamen venti non timet periculum.

[i] Secundo etiam producuntur indistincte quantum ad totius [f. 20ra] ecclesiasticae domus illuminationem. Non enim solum facienti prosunt, sed etiam omnibus membris vivis quae secum in eodem corpore ecclesiastico sunt, sicut et os non tantum sibi comedit, sed etiam omni membro quod secum in eodem corpore vivit. Quod si est in eo membrum aliquod vita penitus destitutum, propter suam ineptitudinem non communicatur ei sumptum a corpore nutrimentum. Probabile autem videtur quod fiat a Spiritu Sancto huiusmodi distributio in membris corporis ecclesiastici ad similitudinem eius quae fit in membris corporis physici, cum unum valde proportionetur alteri, ut ostendit *Apostolus* (1).

In distributione autem nutrimenti [k] quae fit in corpore naturali duo attendit iustissima naturae industria, scilicet quantitatem et qualitatem. Quantitatem autem quia in maiori quantitate dat brachio quam manui, et manui quam digito. Simile est de qualitate; nam purior est illa nutrimenti particula quae transmittitur ad nutrimentum et augmentum oculorum, quam quae mittitur ad nutrimentum et augmentum ossium. Huius autem qualitatis conditio existit ad praesens in tribus,

[a] B *sequit.* debent ipsum sequi radiosa opera sua. Apoc... [b] B *conclud.* Sic ergo radii bon. op. duobus modis distinguuntur. [c] B *sequit.* Indistincte etiam producuntur duobus modis scil... [d] B *sequit.* apprehensionem quia quant. quis in Eccl. prod. op. lucida, quant... [e] B circumfertur F differtur. [f] B *om.* i. q. [g] B *om.* [h] B *om.* [i] B *om.* usque ad cap. 7. [k] F instrumenti.

(1) Rom. 12, 4-6.

scilicet in puritate, ut tactum est, in virtuositate et complexione, ut puta, in caliditate, frigiditate, siccitate, humiditate, igneitate, aquositate. Ut enim iam tactum est, oculis tribuit substantiam puriorem, ossibus terrestriorem, membris magis laborantibus ac maiori fortitudine indigentibus transmittit partem virtuosiorem, in qua scilicet plus est de virtuositate, de spiritibus et de calore.

Ad huius similitudinem intelligendum est quod Spiritus Sanctus distribuendo bona quae sunt corpori ecclesiae communia, unicuique membro distribuit et quantum ad quantitatem et quantum ad qualitatem secundum quod conditio eius exigit. Membris igitur plus laborantibus ac maiori fortitudine indigentibus, ut videtur, plus, dum aliud non obsistat, distribuit de dono fortitudinis. Aliis membris quae sunt quasi oculi, ut praedicatoribus et doctoribus, plus de dono sapientiae et intellectus. Et sic de aliis per simile poterit quis de facili circa hanc materiam plura invenire.

[CAPUT SEPTIMUM]

[Lux divina super humiles radios suos multiplicat]

Ulterius ipsa lux quanto aliquid est magis imum [eo magis] radios suos super illud multiplicat. Ad cuius evidentiam est notandum quod mundus, secundum quod componitur ex sphaeris elementorum et caelorum seipsas includentium, est quasi quidam magnus circulus inter quem multi alii sunt ordinati, ita quod quanto aliquis propinquior est circulo circumferentiali, tanto ab eo plures sunt inclusi. Si quis autem ex exterioribus circulis protrahat lineas usque ad centrum, quanto aliquis circulus erit inferior, quanto [a] etiam centro vicinior, tanto concursus praedictarum linearum erit super ipsum aggregatior, sicut patet in hac figura [b] [f. 20rb].

Ad huius autem similitudinem intelligendum est quod postquam mundus consideratur ut circulus magnus ex circulis elementorum et caelorum seipsos involventium compositus, lineae radiorum prodeuntium a stellis et planetis et transeuntium per perspicuum caelorum et elementorum, protrahuntur usque ad centrum terrae, et ad similitudinem praedicti circuli, quanto sphaera alicuius caeli vel elementi terrae est propinquior, tanto concursus radiorum super eius corpore erit aggregatior [c].

Ratio cuius [d] est quia quanto magis a circumferentia versus centrum proceditur, tanto magis spatium angustatur, de radiis autem nullus minuitur et ideo necesse est ut, diminuta spatii quantitate et

[a] F tanto (?) [b] *loco figurae vacuum* 1/4 *col.* [c] B *ab initio capitis:* Superiora sunt magis radiorum suorum multiplicativa (?) [d] B. C. r.

non [a] diminuta radiorum numerositate, quanto sphaera fuerit magis propinqua centro, tanto fiat super eam radiorum maior [b] conglobatio: et ideo maior est [c] aggregatio radiorum caelestium in sphaera ignis, quam in sphaera lunae, et maior in aëre quam in igne, et maior in aqua quam in aëre, super terram vero est maxima, sicut ipsa est infima.

Inde [d] scitur causa trium magnorum effectuum naturae. [e] Primus autem [f] est quare in terra plura generantur opera naturae quam in aliquo alio elemento, scilicet lapides et [g] metalla, arbores [h], animalia et huiusmodi (1). Secundus [i] est quare super terram non possunt generari duo particularia sibi invicem penitus similia in quantumcumque propinquo generatur loco. Tertio est similiter quare non possunt generari super eam duo particularia penitus similia in tempore quantumcumque propinquo.

Quoniam enim corpora superiora agunt in inferiora per lucem et motum, et ipsi radii sunt [k] virtutis corporum [l] superiorum delativi, et omnis virtus tanto ad plura agendum est apta, quanto est magis [m] unita (2); ideo praedicta virtus quia est, ut ex praedictis patet, magis super terram aggregata [n], quam super alia elementa [o], ideo ibi potest producere plura et magis diversa.

[p] Ad evidentiam vero secundi effectus sciendum quod sicut malleus instrumentaliter deservit fabro et dolabrum carpentario quasi superiori moventi, sic [q] formae materiales elementorum et elementatorum deserviunt instrumentaliter superiori moventi, virtuti scilicet [r] corporum superiorum, quae defertur ad eas per radii vehiculum. Horum autem [f. 20 v a] radiorum, ut dictum est [s], permaxima aggregatio est in superficie terrae, quae etiam penetrat usque ad centrum terrae sicut, si locus exigeret, probaretur [t]. Quoniam autem stellae sunt diversarum virtutum sicut et [u] diversarum specierum, ideo sicut est ibi aggregatio maxima [v] diversorum [x] radiorum, sic etiam [y] est ibi [z] mix-

[a] autem... non *ex* B, F de radiis in illis minuitur, et ideo necesse est ut dim... (?) [b] B *om.*, *deinde* aggregatio. [c] B *sequit.* rad. ag. circa sphaeram ignis quam lunae, et aëris quam ignis, et aquae (?), et maior circa terram quam circa omnes alias, quia ipsa inf. est. [d] B exinde. [e] B *add.* quorum. [f] B. *om.* [g] B *om.* [h] B *sequit.* et alia. Quoniam... *transfert* secundus... propinquo. [i] F secundo. [k] B *add.* delativi. [l] F corporis. [m] B *sequit.* m. e. un. ideo quia praed. v. super terr. magis est aggr... [n] F aggregativa. [o] B. *concl.* pl. pot. prod. ibi quam alibi. [p] B *sequit.* Secundus... etiam in quant... loco generentur [*sicut* F *supra*] nam sicut... [q] B sicut. [r] B. s. v. [s] B *om.* u. d. e., *deinde* max. ag. e. circa terram, [t] B *om.* quae... prob. [u] B sunt. [v] B. m. a. [x] *om.* [y] B *om.* [z] B *om.*, *add.* maxima.

(1) Cf. S. Bonav., *Hexaem.*, col. 1, n. 22, V, 333a; R. Grossat. *De luce*, ed. Baur, 56; Rog. Baco, *Mult. spec.*, II, 450.
(2) *Lib. de causis*, 16. Cf. supra p. 2a, c. 2, 349.

tura diversarum virtutum, ac per hoc diversimode moventium formas propinquorum [a] agentium et virtutes [b] formativas seminum et caloris [c] et spirituum, quae omnia, ut dictum est, deserviunt illis quasi [d] instrumenta (1). Unde sicut dissimilibus [e] formis existentibus in mente fabrorum moventium manum ad differenter educendum [f] malleum, dissimiles figurae imprimuntur in ferrum, sic necesse est in omnia elementa imprimi diversas et dissimiles, in aliquo, complexiones organorum [g], figurationes tam facierum quam aliorum membrorum, et hoc propter diversissimas virtutes motivas radiorum differenter moventes ad agendum et formandum formas et virtutes formativas agentium propinquorum sibi quasi instrumentaliter deserventium [h]. Quoniam autem non possunt [i] aliqua duo loca in tantum esse propinqua, quin sit in eis harum differentium virtutum mixtura, ideo [k] non possunt generari duo particularia in aliquibus locis vel regionibus ita propinquis [l], quin, ex dicta causa, dissimilitudo non proveniat in eis.

Iterum sicut continue moventur corpora caelestia, ut stellae et planetae, sic virtutes praedictae, quae per radios ad terram deferuntur, continue [m] super terram moventur [n]; et ideo sicut [o] successio fit in motu superiorum [p] et in tempore, sic [q] etiam semper super terram praedictae differentes virtutes sunt sibi varie succedentes, dum continue et in quolibet tempore diversis radiis qui praecedunt diversi subsequuntur; et ideo non possunt aliqua duo particularia generari in aliquibus duobus temporibus ita propinquis, quin differentes virtutes [r] fabricent super eis, et sic accidat dissimilitudo [s] ex praedictis causis.

Patet [t] ergo ex dictis quattuor in summa: primo, quod quanto aliquod corpus in ordine universi est magis imum, tanto ipsa lux super illud est magis radiorum suorum multiplicativa et per consequens virtutum. Secundo, in terra plurium et magis diversorum generum producuntur opera, quam producantur in aliquo alio elemento. Tertio, quare nunquam in duobus locis, quantumcumque sibi invicem super terram propinquis, possunt generari duo individua omnino similia nec in toto nec in parte, et sic quare est tanta in hominibus facierum diversitas, et non [u] tantum est in faciebus, sed etiam in aliis membris; unde sicut diversorum differunt diversimode facies, ita manus

[a] B diversorum. [b] virtutis. [c] R *om.* e. c. [d] B ut [e] B de simul. [f] B ducendum diff. [g] B *add.* et. [h] B *om.* membrorum... deserv. [i] B *sequit.* esse duo loca ita prop... [k] B ergo. [l] B *sequit.* locis quin... causa sit in eis dissim. [m] B *om.* corpora... continue. [n] B *om.* [o] B *add.* est, *om.* fit. [p] B superiori. [q] B *sequit.* praedictae virt. similiter (?) sunt continue succed. super terram; et ideo... [r] B *om.* [s] B. accidit similitudo (*sic*), [t] B *om. hanc recapitulationem.* [u] F ideo (?).

(1) Cf. Rog. Baco, *Opus Maius*, IV. *Geographia*, I, 287; ib., *Astrologia*, I, 379 ss.; Alex. de Hales, *Summa*, II, n. 289, 350 s.

et pedes, licet non sic avertatur a sensitivis hominibus. Quarto, quare similiter sicut nunquam possunt in terra nec alibi generari duo particularia penitus similia in duobus locis quantumcumque propinquis, ita etiam non possunt [f. 20vb] in eodem loco in temporibus quantumcumque propinquis.

Ad huius ergo [a] corporeae lucis similitudinem [b] intelligendum est quod quanto aliqua anima in ordine spirituali universi [c] per profundiorem humilitatem est magis ima, tanto, ceteris paribus [d], ipsa lux aeterna super animam illam suorum radiorum et virtutum est magis multiplicativa (1). Ex hac autem tam multiplici irradiatione in ea recepta sequuntur plura: nam ex vehementiori huiusmodi spiritualium radiorum aggregatione sequitur in ea intensior accensio spiritualis caloris sive divini amoris; ex maiori irradiatione sequitur maior illuminatio intellectivae partis; ex maiori etiam divinarum influentiarum aggregatione super eam facta sequitur maior virtutum receptio in ipsa, ut in pariendis pluribus effectibus magis inveniatur foecunda, sicut est, quantum ad hoc, de terra inter alia elementa. Ex diversa etiam harum formativarum virtutum [e] participatione sequitur diversimoda formatio membrorum hominis interioris [f]; et ideo sicut nullus penitus assimilatur alii [g] in esse naturali, sic etiam [h] nec in spirituali, et ideo puto *Scripturam* dicere [i] de quolibet sancto: *Non est inventus similis illi* (2).

[CAPUT OCTAVUM]

[Lux divina occultans transacta ad maiora impellit]

Ulterius ipsa lux corporea aliquando [k] eorum quae post eam sunt [l] posita est occultativa (3). Ad cuius evidentiam notandum quod interpositio alicuius rei in oculum et ad aliquid videndum non prohibet illius rei videndae visionem, nisi quia non permittit ad oculum per-

[a] B igitur. [b] B *sequit.* nota quod... [c] B *sequit.* humilior est tanto... [d] B *sequit.* super ipsam multiplicantur radii spirituales, ex quo sequitur accensio amoris divini et clarior illustratio intellectus humani, et similiter receptio multiplicium virtutum in anima ad producendos effectus magis foecunda et habundans (?) Ex diversa... [e] B virt. immissarum. [f] B. i. h. [g] B. alteri. [h] B *om.* [i] B *add.* posse. [k] B *om.* Ult... aliq. [l] B *sequit.* occult. Nam quod res aliqua interposita inter rem videndam et oculum videntem non permittit videri rem illam visibilem quae post se est posita, est ex multa aggregatione partium illius rei interiectae. Secundum...

(1) Cf. supra, p. 3a, c. 3, 359.
(2) Eccli. 44, 20.
(3) Cf. Alhazen, *Perspect.*, l. 1, n. 2-3, ed. Risner, 1 ss.; Rog. Baco, *Perspect.* II, 66 ss.; S. Alb. Magnum, *De Anima*, II, tract. 3, c. 9, V, 249b.

venire illius speciem. Accidit autem huiusmodi prohibitio ex defectu transparentiae, defectus autem transparentiae in aliquo corpore accidit ex multa partium eius aggregatione. Secundum ergo quod aliquod corpus lucidum maiorem vel minorem habet in se lucis aggregationem, secundum hoc magis vel [a] minus prohibet rei post se [b] positae visionem. Unde videmus quod [c] quia in vitro non est magna lucis aggregatio [d], et sic relinquitur ea transparentia, ideo videntur ea quae post ipsum sunt posita vel in ipso inclusa. Similiter [e] quod in orbibus caelestibus non est magna aggregatio lucis, ideo non prohibet interpositio orbium inferiorum, qui cadunt medii inter oculum nostrum et stellas in firmamento fixas, quin ipsis mediantibus possimus eas libere videre, quamvis post ipsos orbes sunt positae.

In igne autem quia est magna aggregatio lucis, ideo nihil potest videri ab oculis, si intra eos et rem videndam recte interponatur flamma ignis. Similiter quia in stellis et planetis est fortis aggregatio lucis, et ideo si inter solem, a quo omnes stellae et planetae recipiunt lumen, et aliquem alium planetam cadat unus de aliis planetis medius eclipsabit planetam superiorem quia non permittit ad ipsum transire lumen emissum a sole. Patet igitur quod lux corporea, quanto plus in aliquo lucido corpore fuerit aggregata, tanto amplius eorum quae sunt post erit occultativa.

Ad huius autem [f] similitudinem intelligendum [g] est quod quanto super humanam mentem fortior [h] fuerit divinae [f. 21ra] lucis aggregatio, tanto maior [i] sequetur eorum quae sunt post per oblivionem occultatio; nec permittit praedicta aggregatio lucis eorum quae sunt post, id est relictorum vel despectorum pro Deo mundanorum aliquam rememorativam speciem ad oculum pertransire, sed quodam modo cogit oculum et appetitum ad anteriorum et superiorum pretiositatem aspiciendam se extendere. *Apostolus: Posteriorum oblitus, in* [k] *anteriora me extendo* etc. *Psalmista: Nunc cepi* (1), quasi diceret: prius nihil feci, [l] non quia non fecisset, sed quia reputare nollet.

[a] B et. [b] B *om.* p. s. [c] B *om.* v. q. [d] B *sequit.* ideo post se posita non occultat. Similiter... [e] B *sequit.* orbes inferiores non occultant luminaria orbium superiorum, flamma autem interposita occultat; et similiter una stella interposita inter aliam et visum, ipsam occultat et ecclipsat, et ista est causa ecclipsis solis et aliorum planetarum, excepta luna inter quam et visum cadit terra. Ad huius... [f] B *om.* [g] B notandum, *om.* est. [h] B *om.* [i] B *sequit.* contingit in ea omnium mundanorum et temporalium quae reliquit per oblivionem occultatio. Unde Apost... [k] B ad [l] B *conclud.* quia nihil reputat se fecisse.

(1) Philip. 3, 13: Psal. 76, 11.

[Pars Quinta]

[Quare Christus dicitur lux]

[Rationes desumptae ex larga lucis consideratione]

Nunc autem ponantur [a] ratiunculae aliquae [b] quae assumuntur [c] ex absoluta et larga lucis consideratione. Absoluta dixi [d], quia superius positae sunt ratiunculae propter quas dixit se lucem, non radium vel lumen vel splendorem, et ita illae ratiunculae sumebantur a luce considerata in comparatione ad illa tria. Nunc aliquae dicentur quae sibi absoluta consideratione conveniunt. Larga [e] autem dixi, quia omnes praedictae superius ratiunculae sumptae sunt a luce strictissime sumpta, prout scilicet est ipsa activa qualitas corporis lucidi (1). Nunc autem dicuntur aliae sibi convenientes prout accipitur largissime, secundum scilicet quod lux appellatur etiam radius vel lumen vel splendor, quae in medio ab ipso corpore lucido generantur.

[*I ratio*]

Prima ergo ratio sit quia lux [f] est inquinationis non susceptiva. [g] Ad cuius evidentiam nota quod lux sic large dicta admiscetur aliquo modo sordibus et aliquo non. Admiscetur enim eis quodam modo, quia si corpus sordidum est in aliquo loco, species et similitudo suarum specierum sordium diffunditur ab eo circa se in tantum ut in quolibet minimo aëris circumfusi sit similitudo corporis sordidi. Si vero aliquod corpus lucidum refulgeat in eundem locum, totaliter super eundem locum diffunduntur praedicti corporis radii, et sic oportebit tunc quod tam sordium quam lucis similitudo sint in eodem aëris minimo. Illud autem minimum est illis speciebus in rationem per quam deferuntur, non in ratione subiecti in quo substentatur; et sic patet qualiter admisceantur loco.

---

[a] B assumantur. [b] B *om.* [c] B accipiuntur. [d] B *sequit.* in quantum accipitur in comparatione ad lum., rad. et splend., per quem modum supra accepta est. Larga... [e] B *conclud.* vero in quantum lux appellatur lum., rad., et splendor. [f] B Sit e. r. pr. quod lux non est... [g] B *sequit.* Admiscetur enim sordibus quidem loco, quia lux et sordes suam similitudinem diffundunt in medio, unde in minimo aëris recipitur species luti et lucis et in illo minimo sunt tanquam in loco, non sicut in subiecto in quo substententur, non ergo admiscentur subiecto. Ad huius...

---

(1) Cf. supra, p. 1a, c. 2, 232 et c. 4, 342.

Dico etiam quod alio modo non admiscentur, quia videlicet non [admiscentur] subiecto; quia illud quod est subiectum luminis in medio existentis — scilicet idolum substantiae corporis lucidi, ut declaratum est supra *capitulo* (?) (1) — non potest esse alicuius rei subiectum, sed [a] tantum similitudinis alicuius rei fundatae in ipso corpore lucido, quod etiam supra diffusius explanatum est. Cum ergo sordes non sint fundatae in corpore lucente, non poterit earum similitudo admisceri lumini quod est in medio, quasi recipiatur in eo ut in proprio subiecto. Et sic patet quomodo lux corporalis possit admisceri corporalibus maculis et quomodo non; quoniam admiscentur quidem, eo modo quo dictum est, loco, sed non subiecto.

Ad huius autem [b] similitudinem intelligendum est quod [c] Salvator noster, qui hic se dicit lucem, non potuit [d] spiritualibus sordibus admisceri subiecto, ut scilicet essent in eo quasi in subiecto, quemadmodum [e] sunt in [f] creaturis rationalibus transgredientibus; potuit autem admisceri [f. 21 r b] loco [g] cum peccatoribus, scilicet cohabitando, ad sanctorum scilicet utilitatem [h], quemadmodum [i] habitat medicus cum aegroto, propugnator [k] cum obsesso et redemptor cum perdito.

Ad declarandum autem quare non potuit spiritualium sordium esse subiectum, notandum quod cum in quolibet genere oporteat [l] ponere unum summum [m], sicut superius... (2) *capitulo* est declaratum, sciendum quod ipse Salvator est in genere sanctorum quid supremum et excellentissimum. Quod autem supremum est in alicuius generis natura, nihil participat de dispositione opposita, sicut illud quod est [n] lucidissimum nihil de opacitate, ut sol, et quod calidissimum nihil de frigiditate, ut ignis, et sic de aliis.

[o] Cum igitur [Salvator noster] sit quid supremum in genere sanctorum, propter quod etiam dicitur Sanctus sanctorum sicut et dicitur *Rex regum* et *Dominus dominantium* (3), quia est super omnes reges et dominationes, patet quod nihil potest ei admisceri subiective de ea dispositione quae sanctitati opponitur: cuiusmodi est macula qua aliquid spiritualiter inficitur.

---

[a] F nisi. [b] B *om.* [c] B *om.* intel... quod. [d] B *om.* n. p. (?) [e] B. sicut. [f] B. *sequit.* aliis hominibus per legem communem propagatis. Potuit... [g] B *add.* habitando scilicet. [h] B *om.* scilicet... utilit. [i] B sicut. [k] B defensor. [l] Oportet. [m] B *sequit.* et illud nihil partic... [n] B *om.* i. q. e. B opacitate etc. *om.* et quod... aliis. [o] B *conclud.* Salvator autem noster est summus in gen. sanct., ideo nihil pot. ei admisc. de dispos. contraria.

---

(1) P. 1a, c. 5, 343-345.

(2) P. 4a, c. 4, XX; S. Bonav., II *Sent.*, d. 13, p. 1, a. 2, q. 2, fund. 2, II, 94a; cf. ib. not. 4.

(3) Cf. *Apoc.* 19, 16; 17, 14.

[*II ratio*]

Secunda ratio ad idem est quia omnes actiones sunt suppositorum (1), suppositum autem quod est in Christo est hypostasis [a] aeterna Filii, scilicet persona (2). Idem est ergo re persona et suppositum in Salvatore [b]: sicut ergo impossibile fuit personam illam in aliqua actione peccare, sic et idem suppositum, et per consequens Iesum Christum. Non ergo fuit in eo actus aliquis in quo incideret macula peccati ex defectu boni, sed nec macula peccati contracti, cum nasceretur de virtute Spiritus Sancti. Et sic nullo modo macula spirituali potuit admisceri [c].

[*III ratio*]

[d] Tertia ratio sit quia eius actio non tantum erat actio hominis, sed etiam [e] Dei, sicut vere erat suppositum unum in utraque natura existens [f], et sic actio eius ab infinita virtute erat. [g] Infinita autem virtus non potest in aliquo deficere quod necessarium sit in sua operatione, nec aliquid in ea committere quod sibi non debuerat esse. Omnis autem [h] macula spiritualis est in aliquo ut in subiecto ex eo quod omittit aliquid in opere suo quod ibi esse debuit [i], vel aliquid committit quod esse non debuit.

[k] Ad cuius evidentiam sciendum quod eodem modo generantur opera vitiosa in moralibus, quo generantur [l] opera monstruosa in naturalibus. Corpus enim monstruosum non generatur in natura nisi ex omissione alicuius debitae circumstantiae quam debuit natura in operando [m] attendere [n], circumstantia, inquam, quanti vel qualis, vel ubi, vel quis et sic de aliis. Verbi gratia, si generant hominem habentem tres oculos, illud monstrum accideret ex omissione debitae circumstantiae quanti; si generaret cum duobus oculis in fronte, accideret tunc ex omissione circumstantiae loci, et sic de aliis. Patet ergo quod opera monstruosa generantur in naturalibus ex omissione circumstantiae unius vel plurium simul, sicut si generaretur homo habens tres oculos

[a] F hypostatis (?) [b] F. Salvatorem. [c] B *pro secunda ratione;* Item suppositum in Chr. est divina hypostasis quae peccare non potest, ergo in Chr. non potest esse aliquis actus macula peccati sordidatus. [d] B *sequit.* Praetea actio Christi non er. act. tant. hominis... [e] B *om.* [f] B subsistens. [g] B *sequit.* quod deficere non potest in faciendis. Ominis... [h] B *sequit.* peccati mac. contingit alicui ex eo... [i] F potuit. [k] B *sequit.* Nam eod... [l] *sequit.* monstr. ex omiss. debitae... [m] B generando. [n] *sequit.* puta quanti, qualis, ubi, quando. [Similiter...].

(1) Cf. supra, p. 1a, c. 5, 344.
(2) Cf. supra, p. 1a, c. 2, 235.

in fronte, tunc esset omissa circumstantia quanti, in quantum tres sunt geniti, et circumstantia loci, in quantum in fronte et non in loco debito.

[a] Similiter est in moralibus de generatione operum vitiosorum, [f. 21 v a] comedere enim carnes de se non est malum nisi in omissione alicuius vel aliquarum circumstantiarum, quarum omissio vitiosum reddit actum illum, ut si quis comederet in die veneris, peccatum ex omissione circumstantiae temporis; si non propter bonum finem, ex omissione circumstantiae cur, et sic de aliis.

Patet ergo quod tam opera monstruosa in naturalibus [b], quam et [c] vitiosa in moralibus [d] accidunt ex hoc quod potentia agentis deficit in agendo, aliquid omittendo.

Cum ergo potentia huius [e] agentis esset infinita, ut habitum est, et sic non posset in agendo in aliquo deficere, patet quod nulla ratione potuit [f] aliqua spiritualis macula sibi subiective inesse.

[*IV ratio*]

Quarta et ultima [g] propter brevitatem sit, quod quandocumque duae virtutes, sub se invicem ordinatae, coniunguntur in aliquo, quarum superior nullo modo potest errare, non poterit in actione talis rei defectus accidere, nisi forte propter exorbitationem virtutis superiori virtuti suppositae. Ubi igitur [h] inferior ita superiori et regulanti est alligata, quod non potest deviare a superioris directione, nullo modo potest cadere aliquid reprehensibile in illius rei operatione.

Cum ergo in Salvatore essent duae virtutes sub se invicem ordinatae, divina scilicet et humana voluntas, et non posset superior errare [i], inferior autem ita esset ei [k] per gratiam confirmationis alligata [l], ut non posset exorbitare ab ea, certum est quod non poterat, secundum hoc, macula peccati accidere in aliqua operatione sua, sed totum erat secundum rectitudinem divinae voluntatis regulatum, quod fiebat ab eo. Et quanta erat spiritualis pulchritudo in illis operibus hic posset ostendi, nisi intenderemus brevitati.

Sed, ut praedictum est (1), nec nascendo contraxit, ergo nullo modo spirituali maculae subiective admisceri potuit. Potuit ergo Salvator, qui est lux spiritualis, ad similitudinem lucis corporalis, spiritualibus

[a] B *sequit.* sic in moralibus actus vitiantur ex omissione debitae circumstantiae, unde comedere carnes non est malum de se nisi ex circumstantia, puta si comederet quando non debet, in loco ubi non debet etc. Patet... [b] B. *om.* i. n. [c] B *om.* [d] B *om.* i. m. [e] B C. h. igitur p. [f] B q. non potest al. [g] *sequit.* ratio est quand... [h] B ergo. [i] B et superior errare non poterat. [k] B *om.* es. e. [l] *conclud.* erat quod ex ea exorbitare non poterat, ex hoc aliqua peccati macula accidere in operatione sua (?) et sic patet intentum.

(1) Hic, pag. 483.

maculis admisceri, ut dictum est, quodammodo loco vel habitatione, ad ipsorum maculatorum expiationem, sicut habitat medicus cum aegroto et propugnator cum obsesso et redemptor cum perdito, sed nullo [modo] potuit illis admisceri subiective, et propter hanc similitudinem merito se dicit lucem.

[Pars Sexta]

[Operationes lucis divinae]

[Quatenus Calefacit]

De effectibus autem lucis, quos habet [a] in quantum est caloris generativa, sciendum quod ad eam, in quantum huiusmodi, possunt omnes caloris effectus [b] reduci. De quibus quia grandis est sermo et [in]interpretabilis (?) praesenti festinationi [c], relinquantur ad praesens omnes [d] alteri tempori vel alterius [e] considerationi, hoc uno tantum excepto quod lux corporum coelestium feriens [f] diu super latitudinem marium, generat ibi calorem multum [g], ut in superioribus (1) est probatum [h]. Calor autem ibi genitus est aperitivus, disgregativus, subtiliativus et partium compressarum divaricativus. Quia autem ex his omnibus habet [i] quod aperit et subtiliat [f. 21 v b] ideo facit ita quod [quidquid] est in aqua maris subtilius et spiritualius per vaporem fumalem [k] expirat; et quia salsedo maris erat ex adustione cuiusdam terrestritatis (2), et illud [l] quod sic evaporat, cum sit inter omnia magis subtile, ac per hoc [m] depuratum ab illa [n] terrestritate, remanet dulce, et sic de amaro mari ascendunt per calorem caelestis lucis vapores pluviales, qui et [o] sunt dulces, et terram foecundantes, et sordes bene abstergentes,

[p] Ad huius similitudinem intelligendum est quod irradiatio egrediens a sole iustitiae ac [q] feriens super cor amaricatum contritionis in errore, facit ex eo elevari quemdam aquosum vaporem qui ascendens [r] ad caput, descendit inde per cataractas oculorum (3), formatus scilicet in pluviam lacrimarum. Est autem hic vapor, ad similitudinem eius qui de mari per actionem corporum caelestium dictus est elevari, dulcis

[a] B *om.* q. h. [b] B e. c. [c] B *om.* et... festin. [d] B *om.* a. p. o. [e] B *om.* t. v. a. [f] B lāt (?) [g] B i. c. g. m. [h] B *om.* ut... prob. [i] B *om.* [k] F funalem. [l] B. id. [m] B sub. et sic dep. [n] B omni. [o] B *om.* [p] B *sequit.* per hunc modum irrad... [q] B et. [r] B ascendit.

(1) P. 3a, c. 1, 353.
(2) Cf. *Summa philosophiae,* XXIX, 7, ed. Baur, 623 s.
(3) Cf. supra, p. 3a, c. 3, 366.

ac spirituali gustu sapidus, spiritualis agri foecundativus et [a] spirituali sordium bene [b] abstersivus. Quod si etiam proprietates guttarum huius vaporis, ipsarum scilicet lacrimarum, diligenter consideras, invenies inter alias in eis V [c] sensibiles proprietates quibus [d], spirituaiter loquendo, debent per similitudinem respondere totidem spirituales.

Consideras [e] enim in lacrima substantiam, figuram, qualitatem, saporem et [f] virtutem motivam. In substantia vero cernis eam perspicuam, in figura sphaericam, in sapore amaram, in qualitate calidam, virtutem vero [g] motivam in ipsa invenies [h] duplicatam, videlicet ascensivam et descensivam: primo enim, a corde ascendens ad caput, petit suprema, deinde vero, ad inferiora rediens, petit ima.

Haec tamen omnia et omnes alios [i] lucis effectus, quod habet in quantum est caloris introductiva, et naturaliter prosequi et spirituaiter interpretari relinquantur [k] ad praesens maiorum [l] investigationi, vel saltem [m] alii liberiori [n] et aptiori tempori [o], quoniam utroque praedictorum modorum ista prosequi non competit praesenti festinationi (1).

Propter quam etiam si quis in praedictis aliqua viderit inconvenienter posita, habeat illa excusata. Debili enim oculo adiuncta festinatio frequenter non sinit obliquitatem aliquam videri, quam postea contingit a diligentiori oculo comprehendi. In praedictis enim nihil temere asseritur, sed omnia et singula libenter et humiliter melioris sententiae correctioni subiungantur [p].

[a] B *om.* [b] *om.* [c] F VII B A. [d] B *sequit.* Respondere debent A spirit. [e] B constat. [f] B *om.*, *deinde* m. v. [g] B quoque. [h] B. inv. in ea. [i] B *om.* [k] B relinquitur. [l] B maiori. [m] *conclud.* alteri tempori. Et haec sufficiant. Amen [n] F liberiosi. [o] F templi. [p] F *rubrica:* Explicit. Deo gratias. Amen.

(1) Cf. Prolegomena, 217 s.

APPENDIX

Sermo in Nativitate Domini fratris Bartholomei de Bononia (1).

Videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus et ostendit nobis.

Suscipite insitum verbum quod potest salvare animas vestras.

Verbum ultimum est in *epistola beati Iacobi* [1, 21], ad cuius intelligentiam praenotandum quod omne verbum tanto libentius et iucundius auditur et recipitur, quanto auditor per ipsum ad maiora promovetur (2). Si de curia Summi Pontificis veniret nuntius qui diceret tibi quod Summus Pontifex mitteret tibi archidiaconatum, libenter ipsum audires, libentius vero si diceret tibi quod mitteret tibi episcopatum. Certum est quod nec altius neque delectabilius dari potest humanae creaturae aeterna salute; ad illam altitudinem promoventur animae [a] insiti et incarnati Verbi susceptione; ergo nullus alius sermo tam libenter audiri debet sicut de incarnatione Verbi hodie nati. Mille millia paganorum ardent hodie in inferno, qui exultarent in caelo si recepissent verbum istud cum devotione. Igitur ut utiliter possitis ipsum audire rogemus Dominum etc.

Videamus hoc verbum [b] etc. Verbum istud scribitur in *Luca* [2, 15] et legitur in evangelio hodie [c] recitato, in quo duo notantur. Primum est Verbi aeterni temporalis incarnatio, secundum est Verbi naturaliter (*sic*) [d] incarnati publica revelatio.

Verbum aeternum ab aeterno latuit in sinu paterno, ad tempus in utero materno et hodie latuit in praesepio, et per Apostolos est propalatum universo mundo. Verbi aeterni temporalis incarnatio notatur cum dicit: *Videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus.* Verbi factio est temporalis incarnatio. Verbi de Patre processio non est factio, sed processio de matre est factio, de qua *Apostolus* [*Gal.* 4, 4]: *At ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege.* Verbi temporaliter incarnati publica revelatio notatur cum subdit: *et ostendit nobis.*

Pro fundamento sermonis unum vclo praemittere verbum quod dicit: *Videamus verbum.* Istud Verbum exposuit se nobis visibile tribus

[a] A *om.* [b] A *om.* h. V. [c] A hodierno. [d] *Melius ex contextu:* temporaliter.

(1) Ex *ms. Ashmol. 757* Bibl. Bodleianae. Textus ex fol. 401 v b-405 v b [= A²]; variationes ex fol. 363 r a-367 r b [= A]. Cf. *Prolegomena*, 206 s.
(2) Cf. *De Luce*, Introductio, 228.

modis, quibus videtur quidquid videtur et non alio modo. Possem videre candelam accensam in seipsa nuda et aperta intuitione, et ista dicitur visio per rectitudinalem inspectionem; secundo possem ipsam videre inclusa in vase cristallino vel transparente, ita quod radii eius per ipsum vas devenirent ad pupillam oculi mei, et haec visio dicitur per penetrationem; tertio modo possem ipsam videre non in se nec in vase, sed si per speculum poneretur ex opposito, et ista visio dicitur per reflexionem. Totus mundus non posset invenire alium modum videndi ab istis diversum (1).

Istis tribus modis Verbum incarnatum exposuit se nobis visibile. Primo [a], videtur lux increata per nudam et revelatam inspectionem [b], scilicet in patria, ubi pupilla oculi Sanctorum facta est aquilina [et] videt solem in sua rota. De ista dicitur in *Ioanne* [17, 24]: *Volo, Pater, quos dedisti mihi ut ubi ego sum illic et ipsi sint, ut videant claritatem quam dedisti mihi ante mundi constitutionem.* Secundo modo Verbum exponit se nobis visibile, quia existens in vase transparente, scilicet in assumpta humanitate, quae prae summa munditia facta est cristallina, ab omni corruptione peccati mundissima. Divinitas in humanitate est sicut lux cristallina cuius radii penetrabant foris, radii, dico, consiliorum, documentorum et miraculorum, per quae manifestabatur Divinitas (2). Haec est visio de qua dicitur in *Baruch* [3, 38]: *In terris visus est et cum hominibus conversatus est.* Tertius modus videndi illud Verbum est per speculum, et isto modo lux increata exponit se nobis visibile [c] in quolibet creato. Vel visio per speculum est visio per habitum fidei catholicum et aenigmaticum: aenigmaticum enim ex parte est obscurum et ex parte lucidum. De isto modo videndi dicit *Apostolus ad Corinthios* [13, 12]: *Videmus nunc per speculum in aenigmate* (3).

Istis tribus modis lux aeterna [primo] videtur de visione quae est in patria: pertranseo quia non est nobis propria. Secundus [d] modus videndi Verbum incarnatum elapsus est, restat igitur tertius modus videndi, quo videtur a fidelibus ad patriam tendentibus.

Dico igitur quantum ad tertium modum videndi Verbum incarnatum [quod] sunt tria genera hominum qui habent ipsum videre differenter, nam [e] aliter vident eum clerici in saeculo conversantes, aliter religiosi et generaliter omnes poenitentes, alio modo praelati et ecclesiarum rectores.

Dico quod clerici sub triplici forma vident illud Verbum: primo, sicut doctorem prudentissimum, cuius solius est intellectus eorum

[a] A *add.* modo. [b] A mentis perceptionem. [c] A invisibile, *om.* nobis. [d] *Mss.* similiter. [e] *Mss.* tamen.

(1) Cf. *De Luce*, p. 2ª, c. 2, 349.
(2) Cf. *De Luce*, p. 4ª, c. 2, 373 et c. 5, 472 s.
(3) Cf. *De Luce*, p. 3ª, c. 1, 352, 357.

Secundo, videndum est quid nobilissimos intellectus impedit in receptione huius doctrinae. Hoc autem est vitium luxuriae, unde in libro *Sapientiae* [1, 4]: *In malevolam animam non introibit sapientia, non habitabit in corpore subdito peccatis,* id est luxuriae lascivientis [a]. Hoc etiam indicat ratio vera. Ignis quanto magis per actum calefactionis caliditatem aquae imprimit, tanto fortius suum oppositum excludit; ex hoc habemus: quanto aliquid fortius suum oppositum imprimit, tanto fortius reliquum excludit et reicit. Illustratio intellectus et eiusdem obnubilatio contrariae sunt. Sed non est aliquod vitium quod per suum effectum et foetidissimum actum tanto obnubilationem intellectus introducit, sicut actus luxuriae, ergo eius oppositum, scilicet illustrationem intellectus habet maxime excludere (1).

In hoc etiam patet exemplo. Dicit *Boetius* (2), libro *De disciplina scholastica,* quod quando Romae vigebat studium in utraque lingua, scilicet latina et graeca, fuit ibi quidam iuvenis disciplinis scholasticis deditus, optime complexionatus ut diceretur sanguineus, intellectu illustratus, eloquentia singularis. Tandem cum ad aetatem pubertatis perveniret, per malas societates et colloquia mulierum studium dimisit et impignoratus est in taberna frequenter, et a patre redemptus. Tantum lusit quod substantia patris exhausta fuit in redemptione filii, et conversus est ad furta. Totiens captus et liberatus est, quod iudicio imperatoris est oblatus. Inventus venia indignus, ad suspendium est condemnatus. Fecit vocari patrem suum, dixit ei: quare non corripiebatis me? Detis mihi osculum; cum pater appropinquaret, dentibus suis abstulit ei nasum suum, et suspensus est [b] et fere tota Roma planxit eum.

Ista carnalis concupiscentia est ignis usque ad consumptionem devorans et eradicans omnia genimina eius.

Secundo, scholares debent videre istum magistrum sicut medicum efficacissimum, cuius est plagas spirituales medicina gratiae sanare (3). Unde in libro Numerorum [21, 8]: *Fecit Moyses serpentem aeneum et fecit eum poni in medio pro signo, quem aspicientes sanabantur.* In quo praefigurabatur quod qui a daemonibus morsi sunt, sed per fidem et devotionem respiciant in Christum [c] reportent remedium. *Salomon* dicit: *Qui conversus est* [d], *non per id quod videbat sanabatur, sed per te omnium Salvatorem* [*Sap.* 16, 7].

---

[a] A lascivitatis. [b] A *om.* et susp. est. [c] A Christo. [d] A *add.* sanabatur, *postea om.*

---

(1) Cf. *De Luce*, p. 3ª, c. 2, 359; c. 3, 364 s.

(2) Rectius, Pseudo-Boetius seu Boetius Epo, *De disciplina scholarum*, c. 2, Migne, P. L. 64, 1227.

(3) Cf. *De Luce*, p. 3ª, c. 2, 361.

Quattuor sunt quae consueverunt movere hominem infirmum ut summo desiderio quaerat medicum; quia debet considerare magnitudinem aegritudinis, efficaciam medici, quantitatem sellarii et qualitatem medicinae. Si morbus est magnus, medicus bonus, sellarium modicum et medicina levis, non urens aut incendens, tunc debet homo cum summo desiderio quaerere medicinam. Non est aliquod peccatum tam parvum, si sit mortale, si homo sit in peccato isto, quin sit in maiori periculo quam si haberet omnes plagas de mundo, unde dicit *Isaia* [1, 4 6]: *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Omne caput languidum et omne cor maerens: vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo* Est igitur infirmitas magna. Item efficacia medici est summa, quia solo verbo curat, unde cum socrus Petri febricitavit imperavit febri et cessavit febris. Item curat sine potione et sine pecunia, unde in *Matthaeo* [10, 1-8]: *Vocatis duodecim discipulis suis, dixit: leprosos mundate, caecos illuminate, mortuos suscitate: gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum neque argentum.* Item debemus considerare qualitatem medicinae, quia non per adustionem aut incisionem [a], sed per unctionem interiorem habet curare, unde in *Ecclesiastico* [38, 7]: *Unguentarius pigmenta faciet suavitatis et unctiones conficiet sanitatis.*

Scitis quod bruta animalia habent medicamenta cognita instinctu naturali et recurrunt ad ea. Quando aquila habet visum obscuratum ascendit alpes in arborem scismontani et comedit semen arboris et curatur. Serpens de faeniculo comedit ad roborandum visum, et mustela armat se ruta quando debet pugnare contra serpentem, et quando morsa est a serpente comedit de ruta ut curatur. Animal brutum sine temporis dilatione, sine alicuius praedicatione, pro solius brutalis vitae conservatione recurrit ad medicinam. Sed homo sentit [b] infirmitates mortales, habet medicinam cognitam ab isto medico datam, scilicet medicinam poenitentiae, habet copiam medici [et tamen] non recurrit ad medicum sine dilatione nec pro aliorum praedicatione, sed praevenitur morte in confusionem vitae rationalis. Nec pro evasione poenae aeternae, nec pro adeptione beatitudinis aeternae recurrit ad medicum. Lapides tendunt ad centrum et ignis sursum, quia illa sunt loca eis salubria, quia ibi conservantur. Igitur homo qui negligit salutem suam brutalior est brutis et insensibilior insensibilibus: est etiam obstinatior quam sit diabolus, quia si diabolus haberet vertibilitatem liberi arbitrii, opportunitatem temporis et auxilium gratiae Dei, converteretur de sua iniquitate. Igitur homo qui de sua iniquitate non convertitur, obstinatior est diabolo. Diabolus [c] requisitus a quodam quid faceret si esset in statu merendi et ipsi respondit: si haberem tantum de carne humana

---

[a] A adustiones a. insictiones. [b] A petit. [c] A *om.*

sicut unguis minimi digiti continet, tot scabies [a] scalperem, quod vitam aeternam promererer.

Tertio clerici debent videre istam lucem sicut iudicem severissimum, nisi primo convertantur ad ipsum sicut ad magistrum efficacissimum ad servandum eius praecepta, aut sicut ad medicum prudentissimum ad remedium poenitentiae suscipiendum. De eius severitate dicit *Iob* [37, 33-24]: *Vere* [b] *magnus es, Domine, fortitudine, iustitia et iudicio, et enarrari non potest. Idcirco videbunt eum viri et non audebunt omnes qui sibi videntur sapientes,* scilicet propria reputatione. Ideo tantae terribilitatis est.

Quanto medicina plus habet de efficacia sanativa, tanto plus impugnat morbos; ex hoc apparet [quod] quanto aliquid habet de virtute rei contrariae, tanto plus impugnat suum oppositum. Iustitia iudicis et iniquitas peccatoris contraria sunt; ergo quanto plus habet de iustitia, tanto plus impugnat iniustitiam peccatoris; ergo cum iustitia Dei sit infinita, impugnat iniustitiam peccatoris infinite, ita quod infligit poenam infinitam etsi non acerbitate [c], tamen infinita est duratione (1).

Narrabo vobis rem quam vidi: quidam frater minor fuit Bononiae, qui in saeculo fuerat advocatus, deliciis deditus et debilis corpore. In hieme tantum ornavit se de pellibus quod vix potuit ire ad palatium. Et cum intraret religionem, dixerunt homines: modo quilibet potest audacter intrare. Accidit ei temptatio. Postea Deus immisit ei visionem de nocte quod videret iuvenem praecinctum ad itinerandum. Dictabat ei conscientia quod esset angelus: dixit ei ille: vis videre unam de poenis inferni? Dixit ille sic. Videbatur ei quod ambularent per latera montis; cum venirent ad finem, aperuit ei ostium. Non intromisit caput sed multum protendit: tantus erat ibi plantus, tenebrositas et foetor et scintillae, quod solo horrore exclamavit, ita quod non fuit frater in dormitorio qui non evigilaret; et dixit quilibet quod nunquam vocem ita dolorosam [audierit]. Et per tres dies non potuit loqui postea libere [d].

Rogabimus Deum etc.

P. Irenaeus Squadrani, O. F. M.

---

[a] A² scabrosos. [b] A *om.* [c] A activitate, [d] A *om.*

---

(1) Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 44, p. 2, a. 1, q. 1, ad 1, IV, 922a.

MISCELLANEA

De bibliotheca S. Ludovici episcopi Tolosani. — Eodem die quo mortuus est Brinoniae (*Brignoles,* in Provincia), 19 augusti 1297, S. Ludovicus Andegavensis, episcopus Tolosanus, O. F. M., mane condidit testamentum (1), « auctoritate Sedis apostolicae in hac parte mihi concessa ». Adfuerunt inter testes Fratres Guillelmus de Corneliano, Franciscus Bruni, Petrus Scarrerii, Bartholomaeus Vitalis, Ordinis Minorum. De bibliotheca ita disponit sanctus episcopus (2):

« De libris nostris lego religioso viro fratri Guillelmo de Corneliano socio et familiari meo *Bibliam* in uno volumine, quam praefatus dominus Rex [Carolus II], dominus et genitor meus dedit mihi, et etiam *Summam Thomae.* Item fratri Berengario de Bosco familiari meo *Bibliam* quam dedit mihi conventus Tolosae. Item fratri Petro Cocardi familiari meo *Bibliam* et *Flores Sanctorum* pulchriores, qui fuerunt praedecessoris mei. Omnes autem alios libros meos lego fratribus Petro Scarrerii et Francisco Bruni sociis et familiaribus meis inter ipsos aequaliter dividendos, propter plura grata servitia quae ab ipsis longo tempore recolo suscepisse ».

Ex dispositione testamenti praecitata liquet S. Ludovicum tres saltem *Biblias* habuisse, *Summam* theologicam S. Thomae Aquinatis, *Flores Sanctorum.* Quot vero et quinam alii fuerint libri, quos duobus Fratribus insimul legavit, minime constat. *Officiarium* et *Responsorium,* quae conventui Fratrum Minorum Draguinani (*Draguignan*), a

---

(1) Testamentum S. Ludovici episcopi primum editum est a P. Antonio Pagi, O. M. Conv., *Divi Antonii Paduani Ordinis Minorum sermones hactenus inediti de Sanctis et de diversis,* Avenione 1684, p. 485-491. Originale erat tunc « asservatum in Sacrario PP. Observantiae Massiliensium »; cf. Praefationem Pagi. Aliae editiones habentur apud Citoyen de Brignoles [= Calixtus Rolland, O. M. Cap.], *La vie de saint Louis, religieux de l'Ordre de S. François et évêque de Toulouse,* Avignon 1780, p. 168, unde textum transumpsit C. Vielle, *Saint Louis d'Anjou évêque de Toulouse, sa vie, son temps, son culte,* Vanves (Seine), Imprimerie Franciscaine Missionnaire, 1930, p. 481 s. — Magnificum hoc volumen in 4⁰, pp. xix, 501, mendis typographicis parum est deturpatum.

(2) Edit. Pagi, 487 s.; edit. Vielle, 481.